18. Ordnung und Mandat Kaiser Karls V. 1550 wider die Sekten. Nebst Register der verbotenen Bücher. Mit Vorrede von Matthias Flacius. o.O. [1550].

18. Ordnung und Mandat Kaiser Karls V. 1550 wider die Sekten. Nebst Register der verbotenen Bücher. Mit Vorrede von Matthias Flacius. o.O. [1550].

CONFESSIO
ET APOLOGIA PASTO-
rum & reliquorum miniſtro-
rum Eccleſiæ Magde-
burgenſis.

Anno 1550. Idibus
Aprilis.

Pſal: 18.

Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.

Rom: 13.

Principes non ſunt timori bono operi, ſed malo.

Act: 9.

Saule, Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.

Impreſſum Magdeburgi per Michaelem Lottherum.

SYLLOGISMVS CONtinens Argumentum libri.

QVANDO SVPERIOR MAGISTRAtus ui persequitur in subditis, ipsum ius uel naturale, uel diuinum, uel ueram religionem & cultum Dei, tunc inferior magistratus debet ei resistere ex mandato Dei.

Persecutio quæ nobis iam accidit a superioribus, proprie pertinet ad oppressionem ueræ religionis nostræ, & ueri cultus Dei, &c.

Ergo noster magistratus debet huic oppressioni resistere propter mandatum Dei.

Maiorem huius syllogismi probamus firmis argumentis ex uerbo Dei, in secunda parte nostri libelli.

Minoris duæ sunt partes, Prior est, quod Ecclesiæ huius Vrbis habent ueram religionem, & ueros cultus. Huc pertinet confessio doctrinæ & fidei nostræ & Ecclesiarum nostrarum iuxta articulos Augustanæ confessionis in prima parte libelli. Altera pars minoris est, persecutionem, quam patimur, proprie spectare ad oppressionem ueræ religionis, &c. In hac parte cum omnium hominum conscientiæ nobis testimonium reddunt, tum ipsa res palam loquitur illud quæri, sicut & Senatus noster in suo, & nos nostro hoc scripto passim indicamus.

Ex hoc syllogismo denique nascuntur grauissima argumenta exhortationis, quam instituimus in tertia parte libelli, ne pij uel auxilia contra nos hostibus ferant, uel nos suis penitus destituant auxilijs, nec frangantur animis in hac persecutione Euangelij & Christi ferenda & propulsanda pro uocatione.

PRAEFATIO.

EXCITAVIT DEVS INgenti beneficio D. M. Lutherum tertium haud dubiè Eliam, ad reuelandum his poſtremis temporibus iuxta æditas prophetias, hominem peccati, filium perditionis Antichriſtum, Rom: regnantem in templo Dei, & ad conficiendum eum Spiritu oris Chriſti, inſtaurandamq; totam doctrinam filij ſui. Ad hoc igitur opus tam arduum Deus excitatum Lutherum ſimul etiam per ſpiritum Sanctum armauit eximia cognitione ſacrarum literarum, ſingulari robore fidei uelut immota rupe in corde, uiuida docendi arguendiq; uirtute in ore, accendit animũ ardentißimo zelo domus Domini, extremo Papæ & omnis impietatis odio implenit: Aperuit ei porrò auditorium in magna parte Rom: imperij, & in alijs quibuſdam regnis ac populis, ipſumq; & cauſam glorioſè defendit uſq; ad ultimum uitæ eius articulum: Ac plane effecit ipſe, ut quam mandauerat Luthero legationem, hanc ille ſuſciperet fœliciter, fœlicius produceret, abſolueret quàm fœliciſſimè, quantumuis contrà frementibus portis mundi & inferorum.

Et ut hunc ſuum Prophetam ornauit Deus multis inſignibus teſtimonijs & ſucceſsibus, ita haud poſtremo loco numerandum etiam illud fuerit: Cum res ipſius & totius huius doctrinæ maximè uiderentur eſſe inclinatæ, non minus ferè quam ſunt hoc ipſo tempore, propterea quòd ſuffragatores in recenti cauſa adhuc erant pauci & imbecilles, hoſtes plurimi & potentißimi, in hoc inſuper confœderati, quòd prius quieſcere nollent, quàm haberent Cæſarem furori ſuo obſequentem, cumq; parati eſſent opes ſuas & uitam impendere ad extirpandam funditus

totam hanc doctrinam: Ibi tamen Deus amplius excitauit ſpiritum paucorum principum & ciuitatum, ut articulos doctrinæ patefactos per Lutherum, ipſi offerrent coram ſenatu totius Rom: imperij, maximo ſuo periculo, Deoq; ſic mirabiliter gubernante euentum, miſeræ oues ſola hac ueritatis confeßione aduerſarijs lupis continuo fauces & ora obſtruerent.

Nam cum iußi eſſent ipſorum Theologi confutationem ſcribere exhibitæ confeßionis à paucis Lutheranis, id non ſolum fecerunt iſti difficulter & timidè, ſed ita etiam ineptè & ſine ueris fundamentis uerbi Dei, ut ſcripta confutatio ſemel tantum obiter perſtrepens aures expectantium in Senatu imperij euidentem redargutionem accuſatæ ab ipſis hæreſeos, multum teſtata ſit papiſticæ doctrinæ uanitatem, nec amplius in lucem, quamuis flagitantibus noſtris, prodire auſa ſit, deniq; ut expoſtulantibus ſuis principibus confeßi ſint ſacerdotes Baal, religionem Lutheranam uerbo Dei expugnari non poſſe, ex patribus fortè poſſe.

Vide librum Lutheri, cui titulum fecit, Warnūg an ſeine liebe Deutſchē/ non procul a principio.

Hæc & alia multa ſimilia certò ſic geſta ſunt Auguſtæ in conuentu, qui fuit Anno ab hinc 20. & plurimis nota ſunt, qui uel ipſi adfuerunt, uel legerunt ſcripta ab alijs.

Fuit ergo ut ab initio, ita & tunc in illo conuentu, & poſtea ſemper in omni congreßione diſputationum uictrix cauſa Lutheri, & adhuc manet inuicta teſtimonijs & argumentis ex uerbo Dei.

Non autem uincitur armis ueritas, nec armorum uictoria uel mutare aliquid de uero poteſt, uel ſemper comes eſt ueritatis: ſcimus exitus Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum ſimiles & in ſimili cauſa: ſcimus ordinationem Dei, qua patiendo iniuſtam uiolentiam, cruces & mortem, conformes efficiamur imaginis filij ipſius. Itaq; non eſt quòd ex proxima uictoria hoſtes nunc uel condemnent cauſam Lutheri, uel nimium ſeſe efferant, uel nimium langueſcant pij.

Prophetæ

Prophetarum, Christi & Apostolorum causa in oppressione primum uere cœpit emergere, & ipsi post mortem cœperunt magis esse glorioſi. In hoc enim posuit Deus suos Prophetas & Apostolos, ut eant fructum facientes, & fructus ipsorum maneat, & ut ipse operetur in infirmitate uirtutem, uitam in morte, in ignominia gloriam, in extirpatione plantationem.

Itaq; Lutherus quamuis mortuus, & ipse uiuit in æternum, & fructus operis eius quasi mortuo similis uiuit, uiuet & efflorescet in cuncta secula, adhuc inter plures gentes, nec unquam resumet Antichristus pristinas uires, teste Daniele, Paulo et Ioanne, quantumuis conabitur.

Veruntamen confessio doctrinæ Lutheri, quæ est ipsius Christi, ut primum Augustæ facta est, magna confitentium fide & gloria, ita uerè nunc Augustæ rursus est abiecta horribili scelere contra conscientiam à plerisq; principibus & statibus Germanicis, solo euentu superioris belli fractis, de quo scelere publico publicè ipsos accusari, singulos à suis pastoribus, & à prestantioribus uniuersos, ipsosq; ueræ pœnitentiæ signa publicè dare necesse erat, quod quamdiu non fit, nullus est relictus ueniæ locus apud Deum, nec auferetur plaga à familijs principum, & à reliqua defectrice Germania.

An uero hæc non est abiectio articulorum Augustanæ confessionis, ipsam doctrinam & Ecclesiam subijcere decretis partis accusatæ & persecutricis in futura synodo? Inimicis & persecutoribus huius doctrinæ & Ecclesiæ, deferre Interim præscribendum? Præscripto ad manifestam oppressionem doctrinæ Christi & ad restitutionem Antichristi subscribere? nullam amplius debere mentionem fieri Augustanæ confessionis uel uoce uel scriptis, quin obrui memoriam & speciem eius confessionis contraria & appellatione & specie adiaphorica: maledici à nonnullis in gratiam hostium & Euangelij contumeliam, Luthero electo organo Dei ad patefactionem huius doctrinæ contra Antichristum, imo & Ecclesias Christi ipsas subijci ipsi Antichristo? In his omnibus, ut

est uera coram Deo abiectio totius Augustanæ confessionis, & cum hac etiam ipsius Christi abiectio, ita nec Cæsar cum Episcopis & pontificijs aliter hæc signa accipit, nec nostræ, præcipuè uero & exteræ Ecclesiæ aliter accipere possunt, boni mouentur plurimi ipsi quoq; ad abijciendam, hostes ad blasphemandam & persequendam magis doctrinam horum articulorum.

Etsi ergo hi status, & quos habent in hoc lapsu sibi consentientes, omnes uerè abiecerunt Augustanam confessionem, & hac abiectione seu fornicatione cum Antichristo, dum perseuerant, totum Christum, Euangelium et cultum reliquum, non minus sibi inutilem fecerunt, quàm alij huius mundi fornicatores, non agentes pœnitentiam, tamen supersunt adhuc miseræ statuum reliquiæ, quamuis imbecillium, aliorumq; piorum etiam sub apostatis, in hoc nobis consentientium, qui & retinent articulos doctrinæ, Lutheri ministerio nobis traditæ, & in his Christum confitentur uelut latro in cruce. In quibus cum sit & noster magistratus, & Ecclesia nostra huius Vrbis, adeò ut hostes ipsi fateantur se oppugnare in nobis reliquias huius confessionis, iudicauimus pertinere ad nostrum officium, quando uidemur singulari beneficio Dei pro tota Ecclesia uocem habere adhuc liberam, ut aliquid publice proponeremus pertinens ad uindicandam quoquo modo ab iniusta hac oppressione reuelatam doctrinam Euangelij.

Primum itaq; breuiter hoc scripto repetemus tantum, non iam disputabimus, præcipuos articulos doctrinæ patefactos per Lutherum & Augustæ exhibitos, pro christianis, orthodoxis & catholicis, hactenusq; inuictis, ut qui consentiunt cum doctrina Prophetica & Apostolica, cum symbolis Apostolico, Nicæno, & Athanasij, cumq; puriore omnium temporum Ecclesia: Simul etiam hic obiter quandoq; adijciemus, ubi à perpetuo hoc doctrinæ consensu discessum sit à Papistis, Interimistis & Adiaphoristis, item Anabaptistis, Sacramentarijs & similibus fanaticis, à quibus omnibus longissimè nos seiungimus.

Secundo

Secundo demonſtrabimus neceſſariam eſſe pio magiſtratui doctrinæ huius conſeruationem, & iuſtam eſſe defenſionem pij magiſtratus etiam inferioris aduerſus ſuperiorem, cogentem armis rectè inſtitutas Chriſti Eccleſias ad defectionem ab agnita ueritate, et ad idolatriam.

Tertio loco huius libelli monebimus omnes omnium Eccleſiarum pios, magiſtratus & ſubditos, commonſtrabimusq; quantum non ſolum ſceleris admiſerint ferentes auxilia contra nos perſecutoribus huius doctrinæ & Eccleſiæ, ſed etiam quàm non fuerint ſine culpa deſtituentes nos ſuis auxilijs, & quàm utraq; hæc res, oppugnatio noſtri iuxta ac deſertio, ipſorum quoq; ſaluti corporali & æternæ, totiq; poſteritati periculoſa futura ſit.

In his propoſitionibus pertractandis, ut neminem cupimus ulla contumelia afficere, ita & perſonis nocentibus libenter quidem etiam parcemus, quantum & rerum, de quibus neceſſario hic nobis dicendum eſt, natura patitur, & ipſa officij noſtri ratio parcendo nos ſinit eſſe parcos. Si quis iam adhuc rapiet hinc aliquid in ſe uel in alios dictum grauius, is exiſtimet id ſolum quod res eſt, nos pro noſtra uocatione, ſicut & ipſe debet in ſua, oportuiſſe gloriam Dei anteponere gloriæ hominum, perituræ corporis ſaluti poſthabere æternam animarum ſalutem, Chriſtoq; cariorem eſſe paucorum membrorum ſuorum conſeruationem, quàm reliquum totum impiorum mundum, cum omnibus ſuis ornamentis & donis.

ARTICVLI DOCTRINAE CHRIstianæ præcipui.

VT BREVIOR SIT COMPREhensio, totam doctrinam Christianam nunc distribuemus in 7. Capita.

j. De Deo & personarum distinctione.
ij. De creatione, de causa peccati, & summis generibus peccati.
iij. De lege.
iiij. De Euangelio & Iustificatione.
v. De Sacramentis.
vi. De Ecclesia & ministris eius, deq; potestate Ecclesiæ & ministrorum.
vij. De politia & œconomia, & de potestate utriusq;.

HVIVS DISTRIBVTIONIS ratio hæc est: Quia omnis notitia de Deo, aut est notitia naturæ eius, aut uoluntatis, patefacta uel in creatione, uel in uerbo reuelato, principaliter ut inde generetur Ecclesia, ministerio legis, Euangelij & Sacramentorum per homines uocatos ad hoc ministerium, huicq; generationi Ecclesiæ potissimum etiam seruire debent œconomia & politia, uel saltem ciuili hominum societati

societati inter ipsos, quando alterum finem non adsequuntur.

Cæterum quia hic tantum instituimus breuem & nudam expositionem articulorum doctrinæ, uelut confessionem nostræ fidei, remittimus lectorem ad plenaq; scripta uiri Dei D. M. Lutheri, aliorumq; eius similium, ex quibus & uberiorem tractationem, & firma fundamenta cognoscat. Et ipsi, quoties necesse est, parati sumus totius huius doctrinæ & confessionis nostræ fontes & uera fundamenta ostendere ex scripturis Propheticis & Apostolicis, ueteris quoq; & omnium fere ætatum purioris Ecclesiæ consensum.

De Deo & personarum distinctione Cap. 1.

DE natura Dei sentimus & docemus contra ueteres & recentes hæreses ex certo uerbo Dei, iuxta sententiam Symbolorum, Apostolici, Nicæni & Athanasij, unum esse Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres scilicet personas, indiuiduas, intelligentes, incommunicabiles, eiusdem essentiæ, potentiæ & gloriæ infinitæ, pariter ab æterno.

Item Filium confitemur factum hominem, conceptum ex spiritu Sancto, natum ex uirgine Maria, ita ut sit Dominus noster Iesus Christus, uerus Deus & uerus homo, corpore & anima rationali cum æterno patris uerbo sic unitis in una persona, quod hac unione Christus Deus & homo, libera tamen seu uoluntaria humiliatione & inanitione, uere passus, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos iuxta uoluntatem patris, tertia die resuscitatus ascendit in Cœlum, consedit ad dexteram cœlestis Patris, æquali cum patre

potentia regnans in omnem æternitatem, rediturus cum maiestate ad faciendum uniuersale iudicium in toto genere humano, ubi & facta mortuorum omnium resuscitatione reddet unicuiq; iuxta opera sua, hoc est, ijs qui egerunt pœnitentiam, & in ipsum crediderunt, tradet possessionem hæreditatis Dei in uita æterna, reliquos impœnitentes & incredulos una cum Diabolis subijciet pœnis damnationis & mortis æternæ.

De creatione, de causa peccati, & quid sit peccatum, Cap. 2.

PEr hunc filium dominum nostrum Iesum Christum Deus, ut hoc modo se manifestaret & ut coleretur, principio omnia condidit, naturas corporales & spirituales, non ex præ existente aliqua materia, sed ipso solum mandante, res ita & extiterunt & seruantur hodie, spiritu sancto uiuificatore.

Et quamuis omnia cum creasset Deus, erant tunc ualde bona, tamen postea mox accesit malum, hoc est, peccatum & mors, non quidem ex Deo, sed ex uoluntate Diaboli & hominis. Hi enim cum essent conditi ad imaginem Dei, ad sapientiam, iusticiam & uitam æternam, nacti quoq; libertatem faciendi bonum iuxta uoluntatem Dei, eadem libertate mox ad malum usi sunt contra Deum, atq; ita ipsi sese destruxerunt, tantum Deo non efficiente contrarium uel cogente, ut secus facerent: Quod in homine sic factum intelligitur.

Cum primi nostri parentes persuasi a Diabolo comedissent de fructu interdictæ arboris, Deus iratus, iusto se iudicio mox auertit ab eis, qua auersione gratiæ & auxilij Dei simul & minuta sunt & confusa uniuersa

dona

dona in homine & in reliqua natura condita propter hominem: Diminutioni ac confusioni donorum mox successerunt & motus contrarij: Et Diabolus iam nactus potestatem in hominem & in mundum hunc inferiorem, desertæ magna ex parte naturæ humanæ plures labes aspersit, auxit in mente tenebras, in corde contumaciam aduersus Deum, ἀταξίαν in reliquis uitijs inferioribus. Atq; ita Deus statim peccatum puniuit peccato, potestate Diaboli, calamitatibus omnis generis in corpore & in anima, denicq; & morte, hoc est, homo propter peccatum factus est obnoxius morti corporali & æternæ.

Cumq; iam essent tales primi parentes nostri post peccatum, ipsi postea non procrearunt alios, quam similes sui ad imaginem suam, non ad imaginem Dei, subinde magis fere etiam decrescentibus in propagatione donis adhuc reliquis in natura uitiata. Itaq; omnes homines qui ab Adam usq; naturaliter propagantur in hanc uitam, concipiuntur & nascuntur simul cum peccato, hoc est, nascentes rei sunt iræ & iudicij Dei, obnoxij potestati Diaboli & mortis, propter & actuale delictum primorum parentum, & propter propriam naturæ corruptionem, qua sunt expertes ueræ notitiæ, timoris, fidei, dilectionis Dei & proximi, amantes sui, pleni erroribus, securitate, diffidentia, dubitatione, odio Dei, malis cupiditatibus, dictis & factis contra Deum: Adeo ut nihil sit relictum in toto homine naturaliter propagato ulla ex parte, quo uel placere Deo possit, uel gratiam & uitam recipere. Opera ciuiliter honesta potest adhuc aliquo modo efficere homo ψυχικός, unde sunt umbræ uirtutum & externa disciplina etiam apud ethnicos.

Toti huic doctrinæ repugnant duo præcipui errores apud Papistas.

Prior est quo negant ulcium hærens in natura, defectus & concupiscentiam esse peccatum per se, sed ut ipsi loquuntur, esse pœnam & fomitem peccati, qui inclinet ad peccandum & facile concipiat peccatum. Alter error est de bonitate naturæ deprauatæ, quod homo uel ipse possit ex puris naturalibus legi Dei satisfacere uel mereri gratiam de congruo.

De lege, Cap. 3.

SIcut Deus principio se patefecit per creationem, ita deinceps se patefecit & uerbo reuelato ante & post lapsum hominis, per mandata & promissiones, quibus homo exerceret obedientiam & fidem erga Deum. Cæterum uoluntatem naturaliter scriptam in cordibus, ac temporis progressu obscuratam, primis aliquot seculis, Deus postea rursus proposuit data lege per Moysen, ut haberent homines in omnem ætatem certum testimonium uerbi Dei, ex quo scirent, quid facere eos, quid omittere, quales item esse oporteat erga Deum & erga se inuicem, uidelicet mundos corde, ad præstandam perpetuam & integram obedientiam exteriorem & interiorem sine malis affectibus: Addit & promissionem præstantibus hanc obedientiam, perpetuæ salutis in hac & in futura uita, contraq; peccantibus minatur pœnas temporales & æternas.

Nec uero Deus uoluit extare hanc suam uoluntatem in lege, quod homines faciendo legem, iustitiam & uitam consequi per opera illius possent, uel eniti deberent, ut consequerentur, sed ut proprijs meritis diffisi ac territi conspectu peccatorum & iræ Dei aduersus sua peccata, imo mortificati per legem, quærerent ex Euangelio & acciperent liberationem a peccato, ira Dei & morte,

morte, partam per Christum, iustitiamq; & uitam haberent per eundem: Postea etiam studerent esse grati obedientia erga hæc ipsa præcepta, ad quam obedientiam inchoandam fide iustificati, aliquo modo renascuntur per spiritum Sanctum.

Vult Deus etiam impios seu non renatos regi externa disciplina in hac societate ciuili. Ideo & pœnas & præmia diuersis modis ordinauit & exequitur, uel per ministros uerbi, magistratus & patresfamilias, uel sine his uarie ipse punit contumaces, contraq; benefacit in hac uita honestis hominibus, ut hoc modo efficiat & retineat quandam disciplinam in externa uitæ consuetudine.

Etsi etiam Deus præter decalogum dedit leges quasdam cæremoniales & iudiciales per Moysen, illæ tamen certo tantum populo, & ad certum tempus, usq; ad Christum impositæ sunt, nec obligant nunc Christianas Ecclesias nisi quantum in eis quædam sunt naturales: Decalogi uero leges perpetuæ sunt, & omnes omnium temporum homines obligant, sanctos iuxta ac prophanos, ut prius dictum est.

Contra hanc doctrinam de lege multa sunt maxima papistarum errata.

1. Corrumpunt legem, negantes uacuitatem timoris, fidei, dilectionis & similes defectus in natura hominis, esse peccata. Item docentes hominem posse legi Dei satisfacere quo ad substantiam facti, & Deum esse contentum externa disciplina.

2. Deprauant legem, cum ex præceptis de non uindicando, de desertione facultatum & similibus faciunt consilia, opera supererogationis ac perfectionis. Item cum præferunt opera electitia uitæ monasticæ, & alia traditionum humanarum, operibus legis diuinæ præ-

ceptis. Et quamuis de his operibus nondum ita loquuntur Interimistæ & Adiaphoristæ, tamen quia utrique restituunt ipsa opera hæc traditionum humanarum, item potestatem a qua ortæ sunt illæ impiæ opiniones, satis confirmant & adiuuant etiam ipsas opiniones impias.

3. Impie docent papistæ legem esse datam ad iustificationem & uitam, hoc est, ut operibus legis iustificemur coram Deo, & mereamur uitam æternam.

4. Sicut Anabaptistæ ex parte abolent legem, tollentes magistratum, iudicia, distinctionem dominiorum, ita papistæ eam mutilant & deformant prohibentes coniugium Sacerdotibus, negantes opera politica & œconomica esse cultus in credentibus.

5. Sicut nostro hoc tempore fanatici quidam male conati sunt reuocare in Ecclesias Christianorum iudicialia Moysi authoritate diuina, & ut Rom: Pontifices καινοζηλίαν cæremonialium, suum quoque instituerunt pontificatum & iuge sacrificium Missæ, ita contra Antinomi pernicioſa impietate uoluerunt sublatum ex Ecclesia proprium & præcipuum usum moralium, quo scilicet lex moralis accusat, terret, damnat peccantes contra conscientiam.

De Euangelio & Iustificatione, Cap. 4.

EVangelium est doctrina de uoluntate Dei erga nos in Christo Iesu, quam uoluntatem primo æditam in paradiso statim post lapsum primorum parentum, subinde repetiit & illustrauit Deus ipse, & per Prophetas, & tandem per Filium, quod per hunc, & propter hunc solum gratis uelit recipere agentes pœnitentiam & credentes in nomine Filij.

Sunt

Sunt igitur duæ partes huius doctrinæ, una est de beneficijs Christi propriis, altera de applicatione horum beneficiorum. Beneficia Christi propria & summa hæc sunt, quod solo ipsius merito habemus liberationem a peccato, ira Dei & morte, iustitiam, adoptionem, spiritum Sanctum & uitam æternam. Applicatio fit sola fide in adultis agentibus pœnitentiam, hoc modo.

Quando Deus remittit aut non imputat homini peccatum, cui uult, tunc simul cum illa remissione coniuncta est absolutio a pœna mortis æternæ, sicut in foro remissio culpæ adiunctam habet remissionem pœnæ ciuilis.

Sed amplius fit in iudicio Dei, ut absolutis a culpa & pœna æterna propter filium, simul etiam Deus imputet totam iustitiam Filij, hoc est, pronunciet eos habere omnes uirtutes Filij, atq; ita coram se iustos esse iustitia aliena uelut propria, quemadmodum in remissione culpæ & pœnæ æternæ accipit alienam Filij satisfactionem, perinde ac si singuli feciſſent propriam. Hoc secundum beneficium iudex reo, quamuis absoluto non potest præstare, ut eodem modo & iustum, hoc est, omnibus uirtutibus ornatum pronunciet, qui paulo ante magnorum scelerum reus fuerat: Adoptare in Filium potest: Atq; hoc insuper Deus etiam facit, adoptat in filios, quos recipit in gratiam.

Itaq; absoluti a peccato & pœna æterna, simul & iusti sunt coram Deo iustitia filij imputata, & ipsi quoq; sunt filij Dei, habentq; ius uitæ & salutis æternæ duplici iam titulo: habent adoptione uelut hæreditatem: filij enim Dei hæredes sunt uitæ æternæ: habent & merito tanquam mercedem iustitiæ nō suæ, sed alienæ iustitiæ Christi: datur enim uita, sicut promissa est,

etiam

etiam propter iustitiam legis, iuxta illud, qui fecerit ea, uiuet in eis: Christus fecit eam iustitiam & nobis donauit imputatione per fidem: Ergo habemus etiam uitam hac imputatione iustitiæ ipsius.

Porro Deus neminem absoluit a peccato & morte, iustum & filium, hæredemq; uitæ æternæ facit, nisi eidem prius det spiritum Sanctum per uerbum & Sacramenta mouentem ac perpellentem cor ad ueram agnitionem seu gustum peccati & iræ Dei, ad fiduciam mediatoris Christi apprehendentem in ipso iuxta promissionem hæc bona, scilicet remissionẽ peccatorum, iustitiam, adoptionem & uitam: qua sola fiducia cor amplius ipsum quoq; uiuificatur uita æterna, concipit nouam & ueram consolationem, lucem, odium peccati, amorem iustitiæ, item uires nouas ad resistendum peccato, & ad facienda opera inhærentis iustitiæ secundum legem: non ut per ea opera nunc primum iustificetur homo coram Deo, cum prius sit iustus aliena iustitia Filij Dei, nec facere quidem opera Deo placentia possit, nisi prius illo modo iustificatus, non etiam ut uitam mereatur his operibus, cuius uitæ ius prius habet, quia filius est, & iustus iustitia filij Dei: Sed ideo, ut Deo præstet debitam obedientiam & honorẽ, pro beneficio creationis & redemptionis in filio, & ne accepta beneficia rursus amittat, recidatq; in iram Dei & mortem. Itaq; Christus ipse uerbo suo & spiritu Sancto, qui per uerbum & Sacramenta est efficax, inchoat regenerationem in adultis, promouet & absoluit, ut quemadmodum ipsius est omnis gloria in merito nostræ salutis, ipsius est donatio uerbi & Sacramentorũ, ita etiam in applicatione illius meriti, seu regeneratione, quæ fit in pœnitentia, ipsius sit principium, medium & finis. Atq; hæc est illa patris tractio, de qua Christus loquitur, Ioannis 6.

Cæterum

Cæterum uoluntas regenerata per ſpiritum S. acceptis iam donis poteſt uti aut non uti, & ipſa dona creſcunt in utentibus, aliaq; præmia habent corporalia & ſpiritualia, in hac, & in futura uita: In non utentibus aut ſecus facientibus, minuuntur & excutiuntur cum ſpiritu Sancto etiam præſentia dona. Hunc uſum donorum ſpiritus S. flagitant creberrimæ exhortationes in Euangelio, quibus iubentur renati uiuere iam ſecundum ſpiritum, ſpiritu facta carnis mortificare, opera iuſtitiæ facere.

Et quanquam in conuerſione, uel regeneratione adultorum, tres motus præcipuos deſcribunt ſacræ literæ, uidelicet contritionem, fidem & nouam obedientiam, tamen illi ipſi motus diuerſis modis concurrunt, nec tribuitur remiſſio peccatorũ, iuſtificatio, adoptio & uita niſi ſoli fidei, non etiam aliis duobus motibus, uel ſeparatim uel coniunctim. Fides enim ſola accipit mediatorem Chriſtum, eiuſq; beneficia, in uerbo promiſſa, atq; ideo ſola liberat a peccato & morte, iuſtificat & uiuificat, non ratione dignitatis ſuæ aut meriti, ſed Chriſti, cui ſoli innititur, & inuoluit totum hominem.

Non igitur excludit contritionem & cæteras uirtutes, ne adſint, ſed & a merito & ab apprehenſione beneficiorum Chriſti ita excludit, ut ipſa tamen fides ſine illis nec ſit, nec eſſe poſſit. Eſt enim fides proprie iuſtificatio ſentientis ſuam iniuſtitiam, conſolatio perterrefactæ, uiuificatio occiſæ per legem conſcientiæ, conſpectu peccatorum & iræ Dei, nec habet locum, aut exiſtit in ſecuris talis fides. Eſt etiam hæc fides regeneratio ad nouam & æternam iuſtitiam & uitam, ſine cuius nouæ iuſtitiæ & uitæ ſaltem inchoatione, illa quæ iactat Chriſtum & remiſſionem fides, hypocriſis eſt, non fides, mortem non uitam pariens.

Et, quia regeneratio hæc noui hominis tantum inchoatur in hac uita per baptiſmum, & dantur primitiæ tantum ſpiritus, non decimæ, ideo tota obedientia adhuc eſt imperfecta, & manent reliquiæ ueteris hominis poſt baptiſmum in ſanctificatis, manent defectus & cõcupiſcentia contra legem Dei, quæ mala re uera etiam ſunt & manent peccatum, ſicut & Apoſtolus peccatum nominat, hoc eſt, res quibus uere offenditur Deus, quibꝰ & iraſcitur, tantũ perſonæ non iraſcitur, neq; eam propterea condemnat credentem in filium, ac uiuentem bona conſcientia, non ſecundum carnem, ſed ſecundũ ſpiritum, ſicut iudex abſoluens furem, ipſum tamen facinus ſemper odit & dignum ſuſpendio iudicat, uultq; abſolutum in poſterum abſtinere a ſimili rapina, ne rurſus ſimiliter ipſe rapiatur ad ſupplicium.

Recitaui fideliter ſummam ſententiæ ſcripturæ de toto iuſtificationis negotio, cuius ut ſunt infinitæ pene corruptelæ apud papiſtas, ita nos paucas tantum has, & præcipuas annotabimus, ut diſcrimen ſit illuſtrius inter utramq; doctrinam. Primum transformarunt Euangelium prorſus in Legem ſuo commento de præceptis Euangelij, ſeu nouæ Legis.

2. Tollentes promiſsionem gratuitæ reconciliationis propter Chriſtum, non tantum quidem ſuſtulerunt proprium diſcrimen Legis & Euangelij, ſed etiam beneficium Chriſti & Euangelij proprium penitus extinxerunt, ac ſuis tribuerunt operibus, ademerunt Chriſto propriam ſuam gloriam, & pauidis conſcientijs neceſſariam conſolationem.

3. Ne Chriſtum tamen prorſus facerent inutilem, tribuerunt ei meritum primæ gratiæ, qua abſoluti ab aliena culpa primorum parentum, & præparati habitibus infuſis, fide, ſpe & charitate, ipſi poſtea nobis mereremur

reremur remissionem peccatorum, iustitiam & uitam æternam operibus legis, non tam diuinæ, quam traditionum humanarum.

4. Primam gratiam docuerunt applicari operibus pœnitentiæ ex opere operato.

5. Partes pœnitentiæ fecerunt contritionem, confessionem & satisfactionem, quibus cum non tantum tribuant meritum primæ gratiæ, sed etiam remissionis culpæ & pœnæ, fidem & Christum prorsus sepeliunt.

6. In confessione impie requirunt enumerationem omnium peccatorum tanquam debitam iure diuino: Impie exigunt & sufficientem contritionem.

7. Fingunt contritis & confessis mutari pœnas æternas in pœnas purgatorij, hasq; similiter fingunt redimi satisfactionibus canonicis, hoc est, operibus traditionũ humanarum potestate clauium impositis, ipsas quoq; satisfactiones redimi pecunia per indulgentias.

8. Liber Augustanus etsi uideri uult in capite de Redemptione per Christum, misericordiæ Dei gratuitæ ac Christo tribuere omne meritum remissionis, iustitiæ & salutis, tamen postea rursus detrahit, ac statuit propriũ meritum per opera legis, eodem prorsus modo ut supra papistæ. Nam cum inhærens iustitia, fides, spes, charitas, quam Christus meruit, & inchoat in nobis per spiritum S. non liberet, iustificet & saluet, nisi ipso usu, qui usus proprie noster est, iam certe habemus ipsi quoq; gloriam iustificationis & saluationis nostri coram Deo, magis fere quã ipse Christus, imo iustificamur & saluamur proprie operibus legis, & plane non ipso Christo.

9. Vtriq; & papistæ & Interimistæ fidem hic tantum intelligunt notitiã historiæ de Christo, & reliquis scitu necessarijs: πληροφορίαν καὶ παῤῥησίαν fiduciæ in Christũ prorsus delent contraria doctrina, qua iubent dubitare, ac niti inhærente iustitia.

10. Varie discedunt & Adiaphoristæ a puritate doctrinæ Apostolicæ & ab Augustana confessione in hoc articulo. Primo dum non tradunt discrimen iustitiæ inhærentis, uel operum, uel propriæ: & iustitiæ alienæ, uidelicet Christi imputatæ per fidem, præcipuum in hac controuersia nodum relinquunt inexplicatum, atq; ita confundunt has duas iustitias, necessario discernendas. Secundo, dum studio abijciunt exclusiuam (hominem iustificari sola fide) item dum incipiũt iam loqui cum aduersarijs, opera esse necessaria ad salutem, cõfirmant hos duos aduersariorum errores, nos perinde iustos esse reliquis uirtutibus coram, Deo ac fide iusti sumus, & opera esse meritoria uitæ æternæ. Tertio, statuunt & ipsi propriã quandam gloriã corã Deo si homo potest sua quadam ui sequi uocantem spiritum Sanctũ, ante regenerationem seu motionem spiritussancti.

11. Interimistæ & Adiaphoristæ etsi utriq; mussitant alicubi uetera deliramenta de pœnitentia, tamen Interimistæ & retinent neruos omnium ueterum abominationum, & adiaphoristæ quando partes pœnitentiæ papisticæ omnes, & Episcopos lupos Ecclesijs restituunt, modos etiam loquendi de pœnitentia papisticos resumunt, ipsas opiniones impias, etiamsi uelint, tandem prohibere non poterunt, nec penes ipsos erit illorum sophismatum interpretatio, sed penes aduersarios.

12. De infirmitate remanente in sanctis post baptismum, manifestus etiam error est papistarum, negantium eam infirmitatem esse peccatum, item cum docent Sanctos posse esse sine peccato.

13. Damnamus hic & Nouatianos negantes pœnitentiam lapsis post baptismum. Item Anabaptistas & similes enthusiasmum iactantes, qui uel ad nouas reuelationes, uel alias quoquomodo abducunt homines

a mi-

a ministerio uerbi & Sacramentorum, per quod Deus solum est efficax ad salutem: Si quid etiam præterea repugnat doctrinæ supra recitatæ de iustificatione, id omnino iudicamus esse alienum a sententia sacræ scripturæ, obesse gloriæ Christi & saluti hominum.

De Sacramentis, Cap. 5.

APplicationi beneficiorum Christi, quæ fit sola fide, cum uerbo subseruiunt & Sacramenta, quæ, ut Augustinus inquit, nihil aliud sunt, quam uerbum uisibile, hoc est, sicut promissio beneficiorum Christi primum auribus offertur per uerbum, ita deinde & reliquis sensibus offertur per externa signa Sacramentorum, per quæ pariter spiritus S. est efficax ad excitandam & acuendam fidem, ut corda firmius credere promissioni possint, adiuta his ueluti rerum signis, & singuli statuere promissa beneficia certo ad se pertinere, quibus hoc modo applicata fuerint. Itaq; Sacramenta sine hac fide non prosunt accipienti, sed magis sunt pernicioſa.

Hic usus Sacramentorum principalis & proprius est: Interea Sacramenta sunt simul etiam notæ & uera opera confessionis, quibus non solum gentiles, Iudæi, excommunicati, discernuntur ab Ecclesia, sed etiã in externa Ecclesiæ societate uera membra a falsis, hoc est, a contemptoribus & Epicureis quodammodo dinoscuntur.

Porro tria requiruntur ad substantiam cuiusq; Sacramenti: Primum, Promissio gratiæ de beneficijs Christi proprijs. Secundo, Institutio Dei & mandatum. Tertio, Res & actio externa: Quæ substantialia Augu-

ſtinus comprehendit breuius, appellatione uerbi & elementi, cum ait: Accedat uerbum ad elementum, & fit ſacramentum.

Huic ueræ expoſitioni de ſacramentis aduerſatur impium dogma Anabaptiſtarum, quo negant ueram efficaciam ſacramentorum ad ſalutem, ac tollunt uerum ac proprium uſum ipſorum: Aduerſatur & papiſtarum error contra, tribuentium quidem illis efficaciam, uerum ex opere operato, hoc eſt, ſine fiducia apprehendente promiſſionem, & applicante beneficia Chriſti perſonæ utenti ſacramento. Sunt autem tria tantum huiuſmodi ſacramenta, qualia deſcripſimus, a Chriſto inſtituta in nouo teſtamento, uidelicet Baptiſmus, Cœna Domini & Abſolutio.

De Baptiſmo.

BAptiſmus eſt lauacrum aquæ a Chriſto inſtitutum, quod fiat in nomine patris, & filij, & ſpiritus Sancti, ad regenerationem uitæ æternæ, hoc eſt, pater, filius & ſpiritus Sanctus hac cæremonia ceu fœdere æterno uere paciſcuntur cum baptiſato, ad ipſum iam pertinere omnia Chriſti beneficia, ipſum eſſe de populo Dei ſeu uera Eccleſia, recipi in gratiam, reputari iuſtum, fieri filium & hæredem uitæ æternæ, item donari iam ei ſpiritum Sanctum inchoantem nouos motus uitæ nouæ in corde, uerum timorem, fidem, dilectionem, & mortificantem cupiditates ueteris hominis, ſicut ipſa etiam Cæremonia duplices hos effectus pingit.

Nam aquæ lotio partim ſignificat adſperſionem ſanguinis Chriſti, ſeu peccatorum ablutionem, partim

partim mortificationem ueteris hominis, & noui generationem adumbrat.

Damnandi sunt igitur primũ Anabaptistæ excludentes a baptismo miseros infantes propter uel excusationem peccati, quasi nullũ habeant peccatum, uel propter rationis accusationem, quod ea nondũ uti & credere possint. Damnandi etiam sunt iteratione cæremoniæ irritum facientes priorem baptismum, & extenuantes uniuersam uim ueri baptismi.

Secundo sicut olim ἀμεροβαπτίσαι opinione irriti facti huius fœderis propter sequentia peccata, subinde iterabant cæremoniam magno crimine, ita nunc papistæ simili opinione & maiore crimine uirtuti baptismi substituerunt sua opera, non tam legis diuinæ, quam traditionum humanarum, adeo ut monachi suos cucullos æquarent baptismo etiam in mortuis.

Et ut impie tollunt usum baptismi ad remissionem peccati post patrati, ita rursus impie ponunt alium usum, quem baptismus non habet ex uerbo Dei, ad extenuationem scilicet originalis uicij remanentis in natura hominis post baptismum. Ipsam etiam ueram efficaciam, quæ inest baptismo ex sola institutione seu ordinatione uoluntatis Dei, ipsi magice prorsus aquæ tribuunt, alij propter occultam uim aquæ inditam, alij propter assistentiam uerbi.

Denique adsuerunt substantialibus baptismi humana audacia suas sordes magici scilicet chrismatis: Et diabolica prophanatione transtulerunt hoc sacramentum ad campanas & lapides. Improbamus etiam Adiaphoristarum factum, qui sacramentum hoc restitutione papisticarum quarundam cæremoniarum polluunt.

De

De Cœna Domini.

CHristus in ultima cœna instituit Ecclesiæ suæ testamentum, uidelicet suum uerum corpus sub pane edendum, & sanguinem bibendum sub uino, perpetua cæremonia usq; ad ultimum ipsius aduentum, Vt hac sumptione unusquisq; sæpiꝰ in uita recordetur Domini, hoc est, exuscitet & confirmet hoc ueluti pignore suam fidem, corpus Domini traditum & sanguinem effusum uere pro remissione suorum etiam peccatorum, seq; uere effici & esse membrum Christi & Ecclesiæ, & bonorum eius hæredem. Accendat hac fide amplius dilectionem erga reliqua eiusdem corporis membra seu consortes fidei, prædicet, laudet authorem tantorum beneficiorum, eiq; in omni uita obediat.

Hoc testamentum Domini nostri Iesu Christi sacrilege contaminatum est a Papistis.

1. Mutilatione institutionis, qua maximæ parti Ecclesiæ ademerunt partem Sacramenti, uidelicet calicem.

2. Multiplici & horribili prophanatione, qua transtulerunt ad alios diuersissimos usus, quã Christus illud instituit, imo contra Christum & eius meritum, uidelicet ad oblationem non solum pro uiuis, sed etiam pro mortuis, ad promerendam ex opere operato remissionem culpæ & pœnæ æternæ, purgatorij & huius uitæ, ad impetranda bona corporalia & spiritualia, quibus singulis singulas fere Missas destinarunt, panem incluserunt & circumgestarunt ad spectaculum & idolatriam.

His nihilo meliores Interimistæ utramq; partem Sacramenti laicis permittunt ad tempus, non propter institutionem Christi, sed propter suam dispensationem:

nem, addita manifesta condemnatione integri usus huius Sacramenti. Applicationem beneficiorum Christi & gratiarum actionem, quam Christus iusſit fieri in ſumptione, ipſi noua prorſus opinione tribuunt oblationi, quæfit in Miſſa: Deniq; in ipſa ſumptione ſeu communione una cum Papiſtis fidem & præcipuum uſum Sacramenti negligunt.

Improbamus hic etiam illos, qui concedunt in errorem Interimiſtarum, Miſſam quandoq; fieri poſſe a ſolo ſacerdote ſine alijs communicantibus.

Poſtremo abhorremus Zuinglianos & iſtorum ſimiles, qui negant quacunq; tandem de cauſa, Chriſtum eſſe poſſe, aut eſſe ac ſumi in hoc Sacramento cum pane & uino iuxta ipſius uerbum, uere ſubſtantialiter & corporaliter: Sicut & econtra Papiſtas & Interimiſtas taxamus, iubentes credi transſubſtantionem panis & uini in corpus & ſanguinem Chriſti: Item Adiaphoriſtas, qui eleuationem in illis locis, ubi propter abuſum uel libertatem prius abolita fuerat, reſtituunt nunc ex neceſsitate propter mandata hominum, & ita confirmant etiam adorationem huius Sacramenti, reuocato præſertim etiam feſto corporis Chriſti.

Cum primis etiam damnamus in Adiaphoriſtis, quod Miſſam papiſticam magna ex parte reſtituunt, atq; ita quandam actionem huius Sacramenti re & nomine diuerſam faciunt a communione. Qua ratione manifeſtam occaſionem omnibus papiſticis abominationibus reſtituendis præbent.

De Abſolutione.

CHriſtus in Euangelio non tantum dedit poteſtatem docendi, ſed etiam applicandi per uerbum

remisſionem peccatorum & reliqua ſua beneficia uel pluribus uel ſingulis petentibus fide, ſicut & econtra dedit poteſtatem non ſolum docendi, ſed etiam faciendi retentionem peccatorum, iræ Dei & damnationis in palam impijs non agentibus pœnitentiam: Et utraq; cum abſolutio, tum retentio peccatorum, quæ fit per miniſtros, aut alios in neceſsitate, ſuo loco eſt efficax, non tantum coram Eccleſia, ſed etiam coram Deo, ex inſtitutione & uerbo Chriſti per ſpiritum Sanctum, quem perculiariter ad hanc efficaciam & certitudinem dedit, inquiens Ioan 20. Accipite ſpiritum Sanctum &c. Itaq; fide accipiens abſolutionem, uere etiam accipit remiſsionem & ſpiritum ſanctum, & ipſa abſolutio prodeſt ad exuſcitandam ſingulorum fidem.

Huic abſolutioni, quæ eſt inſtitutio Chriſti, potiſſimum ſeruit confeſsio ab hominibus inſtituta, non quod ſine aliqua peccatorum enumeratione, abſolutio fieri non poſsit, aut parum proſit, ſed cum propter alias graues cauſas, tum uero maxime propter hanc, ne Sacramenta conferantur inexploratis & indignis, quod utrorumq; conſcientiæ, & miniſtrorum & utentium intereſt.

Sicut ergo in papiſtis damnamus abuſum abſolutionis & confeſsionis, ita in alijs quibuſdam reprehendimus, quod non uſum tantum, ſed etiam res ipſas tollunt.

Reprehendimus & Adiaphoriſtas, qui cum in capite de pœnitentia loquuntur de abſolutione, de fide nihil dicunt, & addunt generalitatem quandam, quam dum explicãt, manifeſte indicant, ſe abſolutioni adiungere ſatisfactionem.

Quod iam papiſtæ & Interimiſtæ his tribus Sacramentis addunt alia, uidelicet confirmationem, ordinẽ,

matrimo-

matrimonium, & extremam unctionem, contenduntq; a Christo pariter ut alia instituta esse & necessaria ad salutem, manifestum mendacium est, nec habent annexam promissionem Euangelij, ut possint ijs pij applicare sibi beneficia Christi, & fidem exercere, quod est proprium & commune Sacramentis a Christo traditis. Quando etiam Adiaphoristæ rebus complent hunc numerum Sacramentorum papisticorum propter Interim, etsi aliter forte sentiunt de ipsis Cæremonijs, tamen quia Interim una cum cæremonijs impias opiniones flagitat & instaurat, easdem ipsi quoq; non sine magno doctrinæ & multarum cõscientiarum certo discrimine confirmant.

De Ecclesia & ministris eius, decq; potestate Ecclesiæ & ministrorum, Cap. 6.

POst lapsum primorum parentum, Deus continuo ædidit promissionem de Christo filio suo nascituro in plenitudine temporis ex muliere, ad conterendum caput serpentis, ut per hanc æditam promissionem rursus sibi colligeret Ecclesiam in genere humano: Ac semper ipse Deus sua uolũtate & arbitrio elegit, posteaq; eliget usq; ad consumationẽ mundi populũ aut cœtũ, alias maiorem alias minorem custodem eius promissionis, quẽ & defendit cõtra potestatẽ Diaboli, præuenitq; dono ministerij uerbi & Sacramẽtorũ, p quod ministeriũ semp etiã est efficax sua itẽ uoluntate & arbitrio tantũ in ijs, qui ex toto cœtu audiũt hoc uerbũ & Sacramentis utuntur, accendit in eis per spiritum Sanctũ ueram notitiam, fiduciam promissi & iam exhibiti seminis scilicet Christi, ueram item obedientiam,

remittit peccata, iustos, filios & hæredes pronunciat uitæ æternæ propter Christum, Atque hi soli quidem, ubicunq; in toto terrarum orbe sparsi fuerint, sunt uera Ecclesia seu uerus populus Dei super terram, quorum ut nunc maior nunc minor, ita semper est exiguus cœtus, ad reliquos collatus idemq; latens & inuisibilis, sua etiam in membris habens peccata & quandoq; errata. Et hic cœtus inuisibilis passim admixtus est alij cœtui multo maiori, habenti ministerium uerbi & sacramentorum alias purum, alias minus purum, unde & uisibilis fit tota Ecclesia, in qua plurimi sunt mali, ex quibus tamen subinde conuertuntur aliqui, & interdum ij, qui gubernacula tenent, ipsi sunt hostes ueræ Ecclesiæ. Huius tamen ueræ Ecclesiæ uera membra, ut habent ipsa quoq; communia cum reliqua multitudine uerbū & Sacramenta, ita promicant præ cœteris ueluti stellulæ, uera obedientia erga Deum, & in persecutione prouocatione ædunt confessionem, & patiuntur quando opus est: Quibus rebus aliquo modo agnoscuntur, & tandem etiam innotescunt post sua fere fata uere pij.

Et ut loquamur de Ecclesia noui testamenti, Christus dedit ei claues regni cœlorum, sicut ipse eas accepit a patre, nec dedit Petro aut reliquis etiam apostolis tantum & successoribus eorum in ministerio, sed primo ac principaliter dedit toti Ecclesiæ uisibili, ita ut proprijssime tamen sint claues ueræ Ecclesiæ sanctificatorum. Ecclesia rursus administrationem clauiū ordinis tantū causa, iudicio humano, ita postea committit certis personis, ut & totum ius clauium ipsa retineat, si ministri, quibus commissæ sunt, illis aut prorsus uti nolint, aut uelint tantum ad destructionem uti: Retinet & administrationem in necessitate, sicubi ministrorum copia fieri in partibus necessarijs non potest. Alias

nemini

nemini licet capeſſere miniſterium, uel publice, uel priuatim ſine legitima uocatione per homines.

Porro poteſtas clauium eſt poteſtas docendi uerbum Dei, adminiſtrandi ſacramenta, ſoluendi & ligandi peccata ſingulorum aut plurium, uocãdi miniſtros, cognoſcendi & iudicandi quæſtiones de religione, faciendi traditiones ſeruiẽtes miniſterio inſtituto per Chriſtum, Vniuerſa hæc & ſingula faciendi poteſtatem quidem adferunt claues, uerum ita, ut non humano iudicio & arbitrio, ſed omnia agantur iuxta præſcriptum uerbi Dei ad ædificationem Eccleſiæ, non ad deſtructionem, pro uiuis tantum, & non pro mortuis.

Partes huius poteſtatis unuſquiſq; adminiſtrat, eas & *ijs* in locis, quas, & ubi Eccleſia ſiue *ij*, quibus Eccleſia uicem ſuam demandauit, ſingulis committunt, & ut Deus unicuiq; in parte commiſſa diſtribuit menſuram ſui doni. Hinc eſt illud miniſtrorum diſcrimen, ordinatione uidelicet humana, quo alius miniſtrorum alio plures inſpicit Eccleſias, ut Epiſcopus aut ſuperintendens, ali⁹ alio plures aut alias miniſteri*j* partes curat, ut conſiſtoriales, paſtores, cõcionatores, Diaconi. Vnũ autem omnes partes in omnibus totius orbis Eccleſi*js*, inſpiciendis curare, ſeu uniuerſalem epiſcopum fieri, ut non eſt traditum uerbo Dei, imo eſt contra uerbum, ita & impoſsibile eſt, & pernicioſum Eccleſiæ.

Quamuis etiam dona miniſtrorum ad obeundas ſuas partes ſunt diſsimilia, ſæpeq; & mali ſunt miniſtri & impi*j*, tamen cũ adminiſtrant ſubſtantialia uerbi & ſacramentorũ, nec dignitas miniſtri auget dignitatẽ & efficaciam miniſteri*j*, nec eandẽ minuit indignitas.

Huic ſũmariæ ac ueræ expoſitioni multi aduerſãtur deteſtabiles errores, ex q̃b: nos paucos hos numerabim⁹.

Primus error eſt Donatiſtarum & Anabaptiſtarũ,

qui, ut Ecclesia uisibilis non sit nisi sanctorum, iubent discedere a reliqua multitudine etiam ea, quæ purum habet ministerium, atq; ipsi proprios cœtus instituunt, in quibus dicunt omnes pariter esse sanctos.

Secundus error est papistarum, quo & ipsi faciunt sanctos in Ecclesia ἀναμαρτήτους, & sub uno capite Romano pontifici extrinsecus necessario consociatos.

Tertio cum papistæ loquuntur de sanctis in Ecclesia, mortuos fere diuos intelligunt, quos manifesta idolatria iubent inuocare, petere ab eis auxilium, currere ad statuas & reliquias eorum, &c.

Quarto in primatu Romani pontificis stabiliendo multi sunt prodigiosi errores. Primum quod iure diuino eum faciunt uniuersalem Episcopum Ecclesiæ totius orbis terrarum. 2. tribuunt item iure diuino soli potestatem clauium, ita ut ipse eam primario, alij uero secundario omnes per ipsum accipiãt. 3. Dant ei utrũq; gladiũ & plenitudinem potestatis in utroq; regimine, Ecclesiastico & politico. 4. Tribuunt potestatem & facultatem supra scripturas, mutandi & dispensandi de uerbo, de Sacramentis & mandatis Dei, condendi articulos fidei, instituendi cultus & sacrificia, mutandi rerum naturas, conferendi eis nouam uim spiritualem ad uitam æternam, definiendi quæstiones de Fide & moribus, adeo ut in his omnibus non possit errare, nec cuiquam hominum fas sit disputare aut iudicare de ipsius decretis & actionibus, etiam si sciens innumerabiles animas ad orcum deduxerit. Dist. 4. Si papa.

Deniq; dant ei potestatem non tantũ in uiuos, sed etiam in mortuos, & in ipsos angelos. Quibus rebus efficitur ut pro uicario Christi, uere sit uicarius diaboli, & Antichristus regnans in templo Dei, quemadmodũ de eo uaticinati sunt Daniel, Christus & Paulus.

Postre-

Postremo has tantas abominationes haud mediocriter adiuuãt Adiaphoristæ, cũ papæ, quem & ante damnarũt ex uerbo Dei ut Antichristum, & adhuc fere damnant in conscientijs, deserunt honorem primatus, Ecclesiasq; Christi fæliciter liberatas hoc cacodæmone, suis quasi incantationibus adiaphoricis rursus capiunt & cogunt sub eius iugum tyrannicum.

Reprehendendi & in eo sunt Adiaphoristæ, q̃ in Lypsico decreto dicunt, id docendum esse, quod Ecclesia ordinat, cum Ecclesia non instituere doctrinam religionis, sed audire tantum a Christo acceptam debeat, in quo capite non obscure armant concilium, ut postea nobis ueram religionem funditus euertat.

De politia & œconomía & de potestate vtríusq;, Cap. 7.

QVEMadmodum Ecclesia est ordinatio Dei, in qua Deus uult esse ordinem docentium ac discentium, ita & politia & œconomia sunt uere ordinationes Dei, in quibus similiter uult esse ordinem superiorum & inferiorum, qui superiorum suorum legibus & præceptis rationi consentaneis & non pugnantibus cum uerbo regantur, eisq; obtemperẽt, non solum propter iram seu metum pœnæ, quæ ab ipsis imminet, sed etiam propter conscientiam, hoc est, metum iræ & iudicij Dei.

Armauit enim Deus has suas ordinationes & potestates, utroq; metu, uidelicet iræ & pœnæ diuinæ, & humanæ, eorum q̃tenẽt & potestatem. Distinxitq; suo uerbo aliam potestatẽ ab alia, ita ut unicuiq; harũ attribuerit proprium obiectũ & officiũ, propriũ etiam modũ pœnæ. Et quamuis non uult inter sese cõmisceri potestates, uult ta-

uult tamen ita ipsas seruire sibi inuicem, ut in finali causa conueniant omnes, & quælibet suo loco & modo principaliter promoueat ueram notitiam, gloriam Dei & æternam salutem suorum, uel quando ultimum hunc finem non adsequitur, efficiat saltem secundarium, ut homines tranquille, honeste καὶ ὄυκ ἄκαρποι uiuant in ciuili hac uitæ consuetudine.

Sunt igitur politiæ & œconomiæ principaliter institutæ, conseruantur & defenduntur a Deo propter Ecclesiam. Adulti qui non continent, iungantur omnes matrimonio iuxta uerbum & mandatum Dei, fiant patres & matres familias, procreent, educent liberos, & reliquam familiam in disciplina & correptione Domini, ut inquit Apostolus, hoc est, consuefaciant ad honestos labores & ueram pietatem, inmorigeros coherceant uerbis ac uerberibus.

Magistratus legitime uocatus, debet ex uerbo Dei pijs & honestis ciuibus uel subditis, ac præcipue quidem Ecclesiæ defensionem, aduersus iniurias malorum, quas prohibere debet ui corporali & gladio, ac summa cura ipse efficere, ut homines recte instituantur de religione, publice & priuatim exerceantur ad ueram pietatem & ad honestatem.

In his ut necessario debent subditi obedientiam suis magistratibus, liberi & reliqua familia suis parentibus & Dominis, propter Deum, ita econtra, quando magistratus & parentes ipsi abducunt suos a uera pietate & honestate, non debetur eis obedientia ex uerbo Dei: Quando etiam ex professo persequuntur ueram pietatem & honestatem, ipsi sese exuunt honore magistratus & parentum coram Deo & conscientijs suorum, & ex ordinatione Dei iam fiunt ordinatio Diaboli, cui ordine pro uocatione etiam resisti potest ac debet.

Porro

Porro utraq; uita & poteſtas politica & œconomica, ut ſunt uere ordinationes Dei, ita Euangelium utramq; non approbat ſolum, ut pij ijs licite utantur, ſed etiam ſanctificat, ut opera œconomica & politica, uniuerſa & ſingula, quæ ſunt legibus & rationi conſentanea, nec repugnant uerbo Dei, in credentibus placeant Deo, & fiant cultus Dei.

Proinde primum hic damnandus eſt error Anabaptiſtarum, qui negant officia politica & œconomica eſſe licita Chriſtianis, abolentq; magiſtratus, iudicia, rerum proprietatem, contractus, &c. tanquam res per ſe malas.

Huic errori non multum eſt diſſimilis error papiſtarum, qui, etſi non quidem damnant res politicas & œconomicas, tamen ualde extenuant & inſigni contumelia afficiunt, dum negant his uitæ generibus Deum coli, imo parti hominum, uidelicet ſacerdotibus, contra uerbum & mandatum Dei prorſus interdicunt coniugium, contractum dirimunt, uel ſimulatione aliquibus iam permittunt: ſuum impurum cœlibatum, cum deſertione communium officiorum & periculorum coniunctum, deteſtabilem ocio, luxu, ſecuritate & omni impietate, ornant titulo perfectionis in uitæ genere ſpirituali.

Tertio quemadmodum hac extenuatione ac deformatione officiorum politicorum & œconomicorum ſub papatu perturbatæ ſunt multæ bonorum conſcientiæ, ut nimis leuiter ſentirent de his ipſis ordinationibus Dei, conculcataq; ſit politicorum gubernatorum maieſtas: Ita nunc reſtituta per Euangelium dignitate poteſtatis ciuilis & œconomicæ, peccatur a nonnullis in alteram partem, ut putent poteſtates prorſus eſſe ſacroſanctas & inuiolabiles tunc etiam, cum boni

opus quod debebant honorare, conantur opprimere, contraq; malum opus, cui timori esse debebant id stabiliunt & honorant: Quod sequenti parte huius libelli sumpsimus nobis latius tractandum.

Epilogus confessionis. doctrinæ.

HABES nunc Christiane lector summam eius doctrinæ, quæ ut in scriptis propheticis & Apostolicis est fundata, & ex magnis tenebris regni Antichristi his nouissimis temporibus rursꝰ euoluta per uirũ Dei, sanctæ memoriæ Lutherum, comprehensaq; articulis Augustanæ confessionis, ita adhuc sonat singulari beneficio Dei, in Ecclesijs nostris incorrupta & pura.

Si quid autem in hac expositione cum articulorum ueræ doctrinæ, tum dissentientium opinionum ueterum & recentium, parum commode aut integre iã diximus in hac breuitate, id nostris quidem auditoribus ex alijs concionibus nostris magis clarum esse potest, Reliquos lectores huius nostri libelli, uolumus hoc æstimare melius, pleniusq; haurire ex scriptis Lutheri, ceu magno flumine ex ipsis fontibus deducto aurumq; uehente, uel etiam ex aliorum huius similium scriptis, a quibus nihil alienũ hic dici aut accipi tamen sperabimꝰ.

Habemus & cæremonias in nostris Ecclesijs doctrinæ Apostolorum, puriorisq; Ecclesiæ uicinorum illorum temporum consentientes, pias, & ad ædificationem utiles, sicut illas a primarijs in uera pietate Ecclesijs accepimus. Atq; ut de doctrina quidem harum Ecclesiarum absq; insigni contumelia Christi, abnegatione & blasphemia nihil mutare possumus (nec uolumꝰ, Christo nobis uires suggerẽte quod petimus & speramus) ita

nec cæremonias a doctrina talibus temporibus & circumstantijs separari, nec fucosas Belial & Christi conciliationes, quas nonnulli, ut crucem effugiant nunc faciunt, absq; eodem illo crimine admitti posse iudicamus: Quemadmodum id prius æditis apud nos scriptis euidenter demonstratum est, nec aliter quisquam hactenus edocere potuit, imo nec nodum quidem huius controuersiæ respondendo uel attingere ausus fuit, quod in sapiente & docto aduersario malæ cõscientiæ maximam suspicionem præbet.

Hanc ergo confessionem iam scripsimus cũ nostro & Ecclesiarũ nostrarũ nomine, tum etiam omniũ qui foris adhuc sunt piorum, nondũ flectentiũ genua Baal, quorũ nobiscum iam spiritũ, uota gemitusq; cõiuncta esse non dubitamus, primũ ut Christo iam pendenti in cruce tamen reddamus ueritatis testimoniũ, ac præstemus necessariũ cultum, quẽ ab omnibus ipse nũc uehemẽter flagitat, deinde ut & fratres nostros in Christo, ubicũq; locorum sunt sententia nostra & exemplo confirmemus, deniq; ut ipsi nos quoq; liberemus suspitione nouitatis aut separationis in uera doctrina & ueris cultibus, qui aliud nihil agimus in eo, quo nũc proscripti καθάρματα καὶ περιψήματα facti sumus nõ hostibus tantũ, sed etiam fratribus, quam ut custodiamus sanctum illud depositum uiri Dei D. M. Lutheri incõtaminatum, in quo nos omnes paulo ante beatos duximus, & sane fuimus beati, ac gloriati sumus: Sed & ipsi nos hodie beatos ducimus & gloriamur in cruce Domini nostri Iesu Christi: Quicunq; tandem fuerit euẽtus, cum Christo moriemur, & uiuemus cum Christo, iuuante nos ipsius spiritu, sicut eum petentibus fide daturum se promisit ad auxilium opportunum.

SECVNDA PARS HVIVS LIBELLI de Defensione.

I INTERIMISTAE ET ADIaphoristæ tales sunt, quales haberi plerique uolunt, ut qui retineant dogmatum explicatorum synceritatem etiam contra pontificios, non est iam ipsis causa, cur eandem synceritatem, in nobis desiderent, quam & audiunt nunc ex nobis, & rerum testimonijs cognoscunt, uidelicet ex concionibus & sacris nostris publicis. Sin pertinaciam in recusatione mutationis cæterarum rerum accusant, ut iam non dicam de ipsis adiaphoris quomodo desinant nunc esse adiaphora & fiant peccata, abnegationes & defectiones, qua fronte tandem & conscientia damnabunt & armis oppugnabunt cæremonias, quas ipsi nobis pro pijs & utilibus tradiderunt prius, seruarunt ipsi, & adhuc seruarent, nisi metu periculorum uicti essent? Itaque hæc pars nostræ confessionis & Apologiæ apud illam partem hostium nostrorum, qui sunt Interimistæ & Adiaphoristæ, nulla prorsus eget probatione, quin ipsi sua sponte fateantur, nos propter dogmata & cæremonias damnari & oppugnari a Christianis recte non posse.

Apud alteram partem hostium nostrorum, qui semper fuerunt papistæ, etsi nec simplex hæc adsertio, nec ulla quantumuis euidens demonstratio nos liberare potest accusatione hæreseos, tamen & plerique, luce uerbi Dei & propriarum conscientiarum testimonio conuicti,

conuicti, sciunt nobis in hoc fieri iniuriam, & sæpe confessi sunt, in disputationibus & in alijs colloquijs. Illud certe norunt omnes, & nosse debent, iure diuino, naturali & humano, suis etiam pactionibus & promissis nos damnari & oppugnari causa adhuc incognita non posse, quam causam uero iudicio cognoscendam semper quidem obtulerimus.

Si qui tamen principes & status una cum causa, ipsum quoq; ius causæ iam abiecerunt, quilibet sanꝰ facile intelliget, præiudiciũ hoc alijs obesse nec posse nec debere, præsertim in negotio pertinente ad gloriam Dei, & æternam omnium hominũ salutem, quin ius suum pauci & contemptissimi recte adhuc postulent, etiamsi id potentes & Epicurei securissime rideant.

Sed quia ipsi hostes non possunt non etiam agnoscere fœdã turpitudinem, summamq; iniustitiã suarum actionũ, ideo dum iustus quidam metus eis consilij huius quoq; author fuit, studuerunt maiore cura occultare hanc suã turpitudiné, ut negarét superius bellũ fuisse inchoatũ ad opprimendã hanc religioné ante legitimam cognitionem. Nunc posteaquam parta uictoria, rerum potiuntur & satis potentes facti sunt, etsi ad opprimẽdas miseras reliquias huius confessionis adhuc simulant nescio quem prætextum rebellionis, tamé satis etiam manifeste præ se ferunt quæri oppressioné huius religionis ante legitimam cognitionem, in regionibus & ciuitatibus deditis, quas mutationibus religionis non solum per Interim, sed etiam restitutione totius papatus, ubi & quantum possunt, onerant summa iniustitia & crudelitate plus quam gentili.

Quod ergo ad eam partem Apologiæ nostræ attinet, sumpsit de hac iterum magistratus noster aliquid sibi dicendum, uidelicet primam & unam causam in-

dignationis, proscriptionis, & extremi iam conatus ad perdendam nostram urbem hostibus hanc esse, quod Senatus abolitis impijs dogmatibus & impijs cultibus, curauit initio constitui aliquas Ecclesias suas ueris dogmatibus & ueris cultib⁹, deinde & reliquas desertas a papistis, iāq; nō uult abiecta uera doctrina & ueris cultib⁹ recipere falsa dogmata, idolomanias & blasphemias, ad quas prohibēdas, facit & necessaria ad tuam & suorum defensionem.

Hanc inquam primā & solam causam esse hostibus ad conatum opprimēdæ huius urbis, & urbi uicissim necessariæ defensionis, etiam si nemo nunc dixerit, ita tamen notorium est apud omnes uere iudicātes, ut nō pigeat fateri ipsos hostes, qui primi huius tragœdiæ actores extiterūt, nisi quod nunc etiam ducitur esse eximiæ cuiusdam sapientiæ scilicet Epicureæ, repugnante iudicio propriæ cōscientiæ & omnium sensuum, nihil credere q̄ quod ipse uelis & quod expediat uentri. Nec quenq̄ esse puto qui uel mediocriter nouit conditionē huius & urbis & uiciniæ & publicarum actionū, quin fateatur necesse est, nostros in hoc bello nihil magis quærere, q̄ pacem & ueram religionem, nō affectare cuiusq̄ uel dignitatem uel opes.

Sed hanc partem relinquo expositioni nostri Senatus, omnium etiam bonorum iudicijs, qui aliquātulum norunt, quæ initia, quas progressiones & exitus religionis nostræ causa habuerit apud aduersarios & summos magistratus, in reliquis etiam cōfessioni huic uere coniunctis.

Illud iam magis nobis euincendum est hac nostra Apologia, an possit aut debeat Christianus magistratus tueri suas politias, in eisq; Christianos doctores & auditores aduersus superiorem suum magistratum,

ac ui

ac ui repellere cogentem ui ad abiectionem ueræ doctrinæ & ueri cultus Dei, & accipiendam idolatriam.

In hac hypotheſi demonſtranda, ſicut ueram, ita & facilimam rationem uidemus nobis eſſe propoſitam, cum intuemur eos, apud quos tractanda eſt hæc quæſtio. In his duo ſunt hoſtium ordines, de quibus ſupra etiam dictum eſt: Sunt papiſtæ, & ſunt Interimiſtæ, hiſq; adiuncti Adiaphoriſtæ. Tertius autem ordo eorum eſt, qui facere defenſionem debent, ut in periculis huius defenſionis habeant certam & firmam conſolationem.

Apud poſteriores hos duos ordines repetitione hac quæſtionis plane non opus fuerit, propterea quod pleriſq; horum, ueris argumentis ex uerbo Dei, & ex notitijs naturalibus diuinitus impreſſis menti humanæ, paulo ante explicatiſſima fuit, niſi forte etiam uoluntas regis & arma ius diuinum & naturale, demonſtrationes quoq; & regulas conſequētiarum, atq; adeo totam dialecticen mutarint in adſertione legitimæ huius defenſionis, ſicut in multis doctrinæ Chriſtianæ articulis id hactenus potuerunt.

Eadem ſcilicet ratione bis. 4. deſinent eſſe 8. Magiſtratus & ſubditi certis uinculis & iuramentis mutuo erunt quidem obligati, magiſtratibus uero licebit, ubi uolent, omni obligatione liberis ſolutiſq; eſſe, ſubditi erunt ſemper in omnibus obligati & nunquam liberi. Illis licebit extremam Tyrannidem contra leges & iuſiurandum exercere, his non licebit Tyrannorum furores ſecundum leges reprimere. Sic ueritas notitiarum & ordo conſequētiarum ſemper pendebit ex libidine & armis potentiorum.

Apud hoſtes uero papiſtas fruſtra etiam euiceri-

mus

mus concedi defensionem inferiori magistratui aduersus superiorem persequentem armis ueram religionem, quando hanc religionem nostram negant esse ueram, ac censent iustum esse propterea suum bellum, quanquam ne id quidem recte, ut supra dictum est.

Itaq; in ostensione huius defensionis, præcipue habemus rationem conscientiarum in ijs, qui uel puritatem doctrinæ retinent, uel eandem opprimi aut ipsi persequi nolint, ut sciant utriq; quid se facere de hac defensione oporteat, & quam habeant in ea consolationem.

Primum autem te obtestamur Carole Cæsar, domine clementissime, ne patiaris pontificiam cohortem sic abuti tua maiestate & potentia ad expellendum imo crucifigendum Christum, qui Christus cum ipse tibi dederit hoc regnum quod habes florentissimum, nunc hospes est in eo, pauper, abiectus & ærumnis plenus in membris, hoc est, discipulis suis, explorans tuam fidem in administratione regni commissi, petendo non partem eius regni aut gloriæ sibi reddi, sed defensionem uel impunitatem saltem concedi, ut tuam in his donis fidelitatem maioribus tibi rependat donis etiam in uita æterna.

Ac si captus tua quadam conscientia, nondum potes nos habere p discipulis Christi, cogita quæsumus pro tua illa pietate, quod nec Christus, cum traderetur crucifigendus a summis pontificibus in populo suo, habitus est pro filio Dei, imo pro blasphemo & homine seditioso, sic deinceps Apostoli & reliqui Martyres semper habiti sunt, & trucidati ab ordinaria potestate, quemadmodum hoc ita subinde euenturum prædixit dominus Ioan. 16. Ejcient uos e synagogis: & uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur se cultum præstare Deo.

Hac

Hac ſententia etiam notam tradit falſæ Eccleſiæ, ſcilicet quod ea armis propagabit ſuam religionem: uera Eccleſia nunquam docuit cogendos eſſe homines armis etiam ad ueram pietatem, ſicut tu ipſe quidem Iudæos & ethnicos parentes tuo imperio finis uti ſua religione non cogis armis ad accipiendam tuam.

Nos miſeri, ut uocamur Lutherani, hoc ipſis infœliciores, cur beneficio hoc tuo priuati ſumus? qui uno tecum ore & corde Chriſtum prædicamus, communem redemptorem & ſaluatorem noſtrum, omneſq; Chriſtianæ fidei articulos ſancte amplectimur, tantum in hoc diſiuncti, quod tibi a pontificijs ſic perſuaſo, nimium uidemur Chriſto meriti huius ac gloriæ in iuſtificatione tribuere, & quod nos colendum iudicamus tantũ iuxta ipſius uerbũ, tu uero etiã uel magis colẽdũ exiſtimas ac cogis nos eũ colere iuxta humanas traditiones. Vide ergo quæſo Cæſar Auguſte, q̃ hoc tibi graue futurum eſſet in ultimo Chriſti iudicio, in quo ipſi factorum tuorum omnium rationem reddes, & factis tuis digna recipies, ſi ipſe Chriſtianus Chriſtianorum & uerorum membrorum Chriſti perſecutor fueris in eo, quo Chriſtum & uerbum eius inmodica laude extollere tibi uiſi ſunt.

In cæteris, quæ ad tuum pertinent imperium, libenter tibi præſtabim⁹ eam quam poſſumus ac debemus ſummam obedientiam, de qua adeo nihil tibi minuit religionis noſtræ profeſſio, ut multum tibi ex illa accedat ueræ dignitatis & adiumenti ad debitæ obediẽtiæ officia conſequenda. Docemus enim cum Paulo, te eſſe miniſtrum uicarium Dei in promouendo bono opere, ac deberi in eo tibi obedientiam ſicut ipſi Deo, non ſolum propter iram ſeu metum gladij tui, ſed etiam propter conſcientiam, hoc eſt, metum iræ & iudicij Dei.

Huius doctrinæ etsi non possumus habere, aut ipsi efficere omnes pariter obsequentes, tamen hoc possumus tibi polliceri ui promissionis, qua dictum est de hoc nostro ministerio (uerbum meum non redibit ad me uacuum Esa. 55. Item labor uester non erit inanis in domino) nos daturos ex nostris Ecclesijs plurimos, qui si per te frui trãquille possint sua religione, declaraturi sint omnibus debitis & honestis officijs suam erga te obedientiam & fidẽ sine hypocrisi, uero amore non tã fructus ex te percipiẽdi, q̃ tuijpsi⁹ amore, magis fortasse q̃ omnes, quos tu tibi obsequẽtes dicis, ut nos e regione contumaciæ & rebellionis crimine per errorem notes. Vbi etsi singulorum quidem corda inspicere non possumus, plane tamen hoc de publico & communi urbis huius negotio & uolũtate affirmamus, præter religionis nostræ conseruationem aliud nihil quæri: hac impetrata, Senatũ nostrũ & ciues in rectis officijs omnibus iuxta leges Ma:tuæ obsequentissimos fore. Et omnino nisi nobis hæc publica causa & uoluntas sic esset perspecta, desistere ab incepto p excommunicationẽ iuxta Christi mandatũ cogeremus totam hanc Ecclesiã, aut excutientes puluerem pedum nostrorum ipsi hac urbe exiremus. Iubemus, n. ex uerbo Christi, reddi Deo quæ sunt Dei, & Cæsari, q̃uis dissimilis religionis, q̃ sunt Cæsaris. Hæc duplicis obedientiæ officia mutuo se & ferũt & adiuuant sine crimine conscientiarũ utriusq; partis & sine tumultu, quando utrinq; consistitur intra limites præscripti a Deo & a legibus officij. Rursus quãdo fit excessus alterutrius partis, necessario existunt horribilia peccata & graues tumultus: Sicut tu iã Carole Cæsar excedis limites tui imperij, & illud extendis in imperiũ Christi: Quare ipse tu es causa harũ turbarum, sicut & Elias quondam dicebat ad Ahab, non illi causa sunt qui no-

luna

lunt neq; poſſunt propter metũ iræ Dei & pœnæ æternæ, Deo raptum honorem tibi impendere.

Quod reliquum eſt obteſtamur tuam Maieſtatem Cæſar Auguſte, per paſsionem, crucem, mortem, perq; reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius iam memoriam una tecum celebramus, per ipſius deniq; iuſtiſsimum ac ſeueriſsimum iudicium hortamur, ut deſinas tandẽ nos alioſq; inſontes Chriſtianos proſcribere ac perſequi in eo, quo Chriſto tuo ut noſtro Domino addicti & obligati ſumus.

Hoc ſi non poſſumus abs te impetrare, ſicut hactenus non potuimus, nec alij pro nobis ſupplices facti potuerunt, profecto audies ex nobis malum teſtimonium coram Chriſto iudice in die iudicij, ac gemitus noſtri cæterorumq; piorum aſcendent iam nunc contra te in conſpectum Dei noſtri, pœnaſq; accelerabunt, coges etiam homines pacis & iuſtos ad neceſſariam defenſionem contra implacabilem & iniuſtam ſæuitiam tuam.

Non quidem libenter nos proferimus ſententiam quamuis ueram de defenſione, propterea quod cogitamus plurimos malos in externa Eccleſiæ ſocietate, poſſe impij alicuius ſui conatus pium hunc prætextum quærere, & bonos ipſos eſſe quandoq; carnaliter impatientes iniuriarum, rectęq; traditis ſententijs poſſe non in loco aut tempore ſuo peſsime abuti: Quo conſilio ſcimus & ſummos ante nos Theologos in exponenda hac ſententia apprime fuiſſe cautos, cunctabundos & prudentes, tunc quidem cum nondum etiam erat neceſſe, nec proderat eam uel omnibus uel curioſe interrogantibus eſſe notam.

Nunc uero cupiunt tui præſertim Achitophelcs

nobis prius deletis, deinde & totam Ecclesiam piorum non consentientiũ idolatriæ penitus extinguere, ut omnes sani iam intelligunt. Et ad efficiẽdum tantum scelus ipsi quidẽ non minus habent in titulo, quam in potentia tua, o Cæsar, summam spem positam, quo titulo tanquam fulmine iræ diuinæ ita uolunt omnes perterrefacere, ut nemine resistente propter metum iræ diuinæ, possint impune, & facile per te restituere abominãdum idolum desolationis in templum Dei, uel dissentientes omnes interficere, sicut olim sub Machabæis, Antiochus quosdam conscientia uiolandi sabbati falso imbelles factos sine negocio omnes simul crudelissime interficiebat, & concipiebat spem eadem uia & opera (occasione sabbati) delendi etiam reliquum totũ populum, tenacem cultus diuinitus præcepti, & abolendi ueram cultum Dei, similitudinemq; religionis suo arbitrio efficiendi inter omnes gentes.

Itaq; cum idẽ nunc plane etiam agatur per tuos quosdam Antiochos & Achitopheles, quos habes in consilijs, ideo sicut eodem illo tempore Matathias liberando reliquorũ piorum conscientias, armabat eos ad pugnam contra regem pro animabus suis, ut ipse ait, & pro iustificationibus Dei sui, ne perirent de terra, ita nos in nostro quoq; negotio & simili periculo debemus iam liberare nostrorum hominum conscientias inani hoc terriculamento, quod obijcitur, inconcessæ a Deo defensionis aduersus superiores, hortariq; nostros ut sint & ipsi æmulatores legis, dent animas suas pro testamento Dei nostri, si forte Deus nobis factus propitius det aliquem etiam euentum Machabæis similem, quemadmodum speramus & oramus. Quod si autem imperitum uulgus hac doctrina, quam nos de legitima

defensio-

defensione magistratus inferioris aduersus superiorẽ, quærentem extirpationem euangelij & ueræ Ecclesiæ, tradimus, aliquando abutetur ad maiorem hostium cladem uel pernicię, non est quod hoc postea uel Euangelio uel nobis imputetur, qui hanc etiam ueram sentẽtiam, ut antehac semper, ita nunc celare cupiebamus, nisi uicti præsenti quorundam iniustitia & tyrannide, conseruationẽ Euangelij & ueræ Ecclesiæ talibus istorum periculis anteponendam esse censeremus.

Proinde rursus affirmamus ex certo uerbo Dei, quando superiores magistratus conantur ui obtrudere politijs idolatriam Papisticam, opprimere uerum cultum Dei & ipsos ueros cultores, sicut iam cœperunt facere, & quidem iniusto suis legibus processu, etiamsi aliud prætexunt, tunc non solum posse, sed etiam debere pios Magistratus illis resistere, quantum possunt, ueram doctrinam, cultũ Dei, uitam, pudicitiam, facultates suorum defendere & tueri aduersus tantam tyrannidem.

Huius ueræ sententiæ, omissis pluribus rationibus tria tantum hæc iam recitabimus maxime perspicua & firma fundamenta.

Primum argumentum ex definitione.

MAgistratus est ordinatio Dei, ut sit honori bono operi, & terrori malo operi Rom. 13. Ergo quando incipit esse terrori bono operi, & honori malo, non est iam in eo, quod ita facit, ordinatio Dei, sed ordinatio diaboli: Et qui resistit tali operi, non resistit ordinationi Dei, sed ordinationi diaboli: Qui autẽ resistit, necesse est, ut resistat suo loco, pro uocati-

one. Proxima igitur uocatio est alterius magistratus, uel superioris, uel paris ei qui infert iniuriam, uel patientis iniuriam inferioris, qui & ipse est ordinatio Dei per superiorem, ut sit honori bono operi & terrori malo in defensione suorum ciuium ex mandato Dei. Quã ordinationem & quod mandatum, ut superior in seipso mutare non potest, ita nec in altero mutare potest, ac dare licentiam persequendi bonum opus & promouendi malum, non magis, quam potest ius Dei & ius naturæ iniustum facere. Quando etiam deponit nolentem in tali scelere obsequi inferiorem magistratum, & uolentem substituit, eo ipso quia iã honorat ac promouet malum opus, bonum dehonestat ac destruit, non est iã ordinatio Dei, sed ordinatio diaboli, & hanc depositionem boni magistratus facit inualidam coram iudicio Dei, depositusq; manet adhuc obligatus Deo ad faciendum apud suos officium magistratus, hoc est, ad promouendum bonum opus & reprimendum malum in quolibet commerente etiam superiore, sicut Paulus eo in loco loquitur indefinite, neminem excipiens, imo faciens ex superiore tyranno ordinationem diaboli.

Quod si ex inferioribus maiores & plurimi, ipsi quoq; hic negligunt facere suum officium, magnum crimen sola ea negligentia admittunt, nec uel excusat, uel prægrauat hoc istorum exemplum coram Deo alios minores & pauciores: quin singuli tamen pro suo loco & modo in faciendo magistratus officio debeant perseuerare.

Hic etiam discernendi sunt gradus delictorum seu iniuriarum, quarum ut est magnum discrimen, ita con-

consiederandum est, quibus quomodo resisti possit ac debeat, ne putemus nobis licere maioribus turbationibus occasionem præbere ob quasuis iniurias. Primum ergo sicut omnes homines, ita & præcipue magistratus naturali imbecillitate habent sua uicia & peccata, quibus uel nescientes, uel petulanter quandoq; faciunt iniurias non nimis atroces seu sanabiles.

In his minime quidem uolumus inferiores exercere suum officium contra superiores gladio, uel ad uindicandum uel ad defendendum. Monendo graviter alijsq; ciuilibus modis exercere hic etiam possunt, imo debent: Si hoc modo uitare iniurias non possunt, tolerent, quas sine peccato possunt, & nequaquam ipsi quoq; arma capiant.

Huc proprie illud pertinet 1. Pet. 2. Serui subditi estote cum omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dijscolis &c. Habeat hic amplius locum id quod scriptum est Exodi. 22. Principi populi tui ne maledixeris: Et illa tum reuerentia tum ἐσωφκεσα, qua ut Sem & Iapheth faciebant suo patri Noah, ita & nos operiamus magis uerenda superiorum nostrorum quam proferamus, tametsi cum iniuria sint coniuncta.

Secundus gradus est atrocium & notoriarum iniuriarum, ut si princeps ciuitati, aut Cæsar principi soli & immerito uelit iniusta uiolentia contra iusiurandum & leges, adimere uel uitam, uel coniugem, uel liberos, uel priuilegia & ditionem, hæreditate aut iure acquisitam. In tali casu ut neminem quidem dicemus cogi mandato DEI ad usurpationem sui iuris, ita nec terreri quenquam dicemus mandato

Dei,

Dei, qui ipse etiam gerit magistratum: quo minus utatur iure magistratus in facienda necessaria defensione. Optabimus tamen & hic Christianos magistratus magis esse paratos ad patiendas etiam huiusmodi iniurias, & ad relinquendam uindictam Deo, quando uel ad solos, uel paucos pertinet iniuria, & tolerari sine peccato potest.

Hic constituatur tertius gradus iniuriæ magistratus, qua inferior ita cogitur ad certum peccatum, ut nec pati sine peccato possit omissa prorsus defensione, cuius gratia & ipse gladium gestat, ut cum Pharao iubet obstetrices interficere pueros Hebræorum, aut si iubeat Mosen adiuuare persequutionem Israelitarum. Verum hic accurato & uero iudicio opus est, ne in propulsanda iniuria, uiolentur leges aliquæ superiores, quæ propulsationem ipsam quoq; iniustam faciant, & musitationem flagitent. Atq; in his proximis duobus generibus, magistratus talium iniuriarum authores, proprie fiunt & dicuntur tyranni.

Quartus & summus gradus iniuriæ superiorum, plus est quam tyrannicus, quando sic insanire incipiũt tyranni, ut dolo & armis persequantur non tam personas magistratuum inferiorum & subditorum iustas, quam ipsum ius, præsertim summi alicuius & summe necessarij gradus, Deumq; authorem iuris in personis persequantur, non subito aliquo & euanescente cum actione furore, sed deliberato & durabili conatu ad delendum in omnem posteritatem opus bonum. Eo dementiæ si quis progreditur, etiam inscius summus Monarcha, is non est arctolycos tantum, cui Lutherus tyrannum in hac disputatione comparat, sed est ipsissimus Diabolꝰ, qui nihil potest ipse sceleratius & maius facere, nisi quod magis sciens facit, & hæc est ipsissima essentia,

essentia, formalis causa seu anima procurationis in regno Diaboli.

Et ut Diabolus hac sua gubernatione prorsus cupit extinctam totam seriem notitiarum, legum & promissionum diuinarum, ita in toto genere humano deligit sibi idonea organa, quorum alij in alijs partibus harum notitiarum tollendis uel corrumpendis seruiunt Diabolo. Ac præcipue quidem conatur subinde summam & præcipuam partem harum notitiarum, uidelicet de uero cultu Dei & salute humani generis, ipsosq; cultores ueros, hoc est, ueram Ecclesiam Dei extinguere. Ad quam rem incitat precipue summos magistratus ecclesiasticos & politicos, sicut tempore prophetarum, Christi & Apostolorum, ita & hodie nostro.

Quod si ergo iam princeps, aut Cæsar in eo solum ordine notitiarum naturalium, quæ societatem uitæ ciuilis, honestatemq; gubernant, huc insaniæ procederet, ut abolita lege de coniugijs & omni castitate, poneret ipse contrariam Legem de uagis & incestis libidinibus, prostituendisq; omnium uxoribus & filiabus, & hanc legem ipse defenderet ac exequeretur ui & armis, ita ut repugnantibus aut dissentientibus etiam certa mors proposita esset: Hic ut haud dubie nemo sanus dubitauerit esse iuris & mandati diuini, talem Principem aut Monarcham reprimi in hoc nefandissimo conatu ab omnibus etiam infimis & infirmissimis magistratibus pro uiribus oportere: ita multo minus quisquam dubitare potest, nisi prorsus ἄθεος uel Epicuræus ac Sadducæus, hoc esse iustum & necessarium in illo summo gradu Legum & notitiarum diuinarum, ita pertinentium ad gloriam Dei & ad æter-

nam uitam uniuscuiuſq; quod utraq; tum gloria Dei inter homines, tum æterna uniuscuiuſq; ſalus conſtare ſine illis non poteſt.

Cæterum hoc fit iam a ſummis noſtris magiſtratibus, quod ui conantur abolere in nobis & in omnibus ad omnem poſteritatē ueras notitias de Deo, ſine quibus nec Deus uere coli, nec quiſquam mortaliū ſaluari poteſt, quin amplius uolunt iuſtificare & plantare in omnium cordibus falſas & blaſphemas opiniones de Deo, regnum Antichriſti & diaboli ſolum ſtabilire aduerſus Chriſtum. Quod ut ex ipſis rebus geſtis luce meridiana clarius eſt, ita dubitantibus uel ex eo clarum eſſe poteſt, quod nuper in reſponſo magni nominis legati quidam acceperunt, Cæſarem non poſſe abſq; periurij crimine, nec uelle cuiquam quicquam remittere, ne fratri quidē, de communi decreto ſtatuum Imperij, Auguſtæ in Interim facto. Ex qua reſponſione, ſicut & ex multis alijs rerum teſtimonijs & euentibus, quid non nobis tantum, ſed & alijs deinceps ſit expectandū perſeueraturis in uera pietate, quæ etiam nobis ſumma cauſa ſit proſcriptionis & non factæ reconciliationis cum Cæſarea Maie: æſtimet iam qui poteſt, aut uolet.

Relinquo deniq; ex tota hac expoſitione cuilibet pio & ſano ipſi æſtimandum, quid deceat in præſenti negotio & periculo cum noſtrum hunc, tum omnes pios uel infimos etiam quoſq; magiſtratus, quid item utrinq; uocatos ad hanc militiam deceat, quid, quem, qua conſciētia & expectatione iudicij diuini oppugnent, aut in poſterum oppugnaturi ſint.

Et primum hoc Argumentum, ut eſt ſumptum ex manife-

ex manifesto uerbo Dei, ex principijs naturæ prorsus immutabilibus & ex rerum testimonijs, ita est præcipuum in hac disputatione, uerum & illabefactabile, Quod illustratum præbet spectaculum inæstimabiliter horrendi facinoris in hostibus nostris, contra in facientibus defensionem non iustitiam tantum, sed & zelum commendat, ingentia præmia æterna promittit, cum euentu digno zelantibus pro lege DEI nostri.

Secundum Argumentum.

CVm Christus affirmatiue & copulatiue iubet reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo, recte ex affirmatiua inferimus negatiuam etiam copulatiue, sicut econtra negatiua præcepta, ut in Decalogo, semper e regione includunt affirmatiuam sententiam. Itaq; ui huius præcepti, primum nõ sunt reddenda Cæsari quæ sunt Dei, sicut & Apostoli regulam & præceptum tradunt: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Et negantes obedientiam superioribus in ijs, quæ contra Deum fiunt, maiestatem illorum non uiolant, nec contumaces uel rebelles iudicari possunt, sicut Daniel inquit, coram te, rex, delictum non feci. Duæ enim causæ ipsos hoc crimine liberant, Primũ, quia gerentes magistratum postulant hanc obedientiam non tanquam magistratus ex ordinatione Dei, sed tanquam homines, hoc est, nullam habentes superioritatem ex uerbo Dei, Quam causam uidentur Apostoli suo dicto uoluisse indicare. Deinde etiamsi manerent ueri magistratus, tamen ut in humanis gradibus lex superioris potestatis derogat legi inferioris, ita diuinæ leges necessario derogant humanis,

Secundo ut non uult Christus tribui Cæsari, quæ sunt Dei, ita nec uult tribui ei quæ sunt aliorum, & non sunt ipsius iuxta uel diuinas, uel sui etiam imperij leges: Vt si contra has leges postulet Cæsar meam uel alterius uitam, pudicitiam coniugis aut filiæ, facultates &c. non debeo eas permittere ei. Sic Naboth postulanti regi suo Ahab ne pretio quidem uoluit uineam uendere, Ambrosius noluit cedere templum Arianis ad mandatum Iustinæ Augustæ. Laurentius noluit thesaurum Ecclesiæ Decio tradere. Atq; utinam hoc ius & exempla hæc sæpe nunc cogitarent cum principes, tum subditi, ubi & quantum necesse erat.

3. Reg. 21. Trip. hist: lib: 9. Lombar: hist.

Tertio sicut Christus copulatiue iubet reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei, item singulis quæ sunt ipsorum, ita postulante Cæsare id quod est suum, seu quod sibi debetur, ut simul tamen cum illo rapiat necessario coniuncta, quæ Dei uel aliorum sunt, nec dari sine peccato possunt, tunc copulatiua iubet iam etiam adimere Cæsari ea quæ ipsius erant seu quæ debebantur ipsi.

Exemplum sumamus de patrefamilias, is si ueniat ad uxorem suam & filias puberes, domumq; suam cum nebulonibus manifesto conatu easdem prostituendi, hic illæ, uxor & filiæ, non solum non intromittãt maritum & patrem, quam obediẽtiam alias ei debent, sed etiam cum aliter tueri pudicitiam non possunt, lapidibus repellant.

Eadem ratione cum Cæsaris intromissio in urbem suam, secum adfert certam abolitionem ueræ religionis, cædes piorum & exilia, in hoc casu defensio religionis, uitæ suæ & aliorum innocentum (quam defensionem magistratus eius urbis Deo & ciuibus debet ex mandato Dei) trahit iam secum & alteram partem

tem obedientiæ Cæſari debitã, ne eam nũc præſtet intromittendo Cæſarem in urbẽ, iuxta regulam Chriſti, Quod debita officia, quãdo cum iniuria Dei & aliorũ, cumq; peccato ſunt coniũcta, nemini perſolui ne patri quidem aut magiſtratui debeant.

Quarto Chriſtus eadem hac ſententia (Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo) ut alios quidẽ homines ſubijcit Cæſari, ita & illos & Cæſarem ipſum quoq; ſubijcit Deo, & uult ſummam illam inter homines poteſtatem, qualis eſt poteſtas Cæſaris, præcipue ſeruire Deo, curando uidelicet ut quemadmodum ipſe, ita & reliqui poteſtati eius ſubiecti, Deo reddant quæ ſunt Dei iuxta ipſius uerbum, contraq; facientes coherceantur. Nam hoc proprie & principaliter pertinere ad officium Chriſtiani magiſtratus, præſertim ſummi illius Principis, hic quidem obſcure ſignificatum eſt, ſed teſtimonijs, argumentis & exemplis ex uerbo Dei, alias clarius a noſtris demonſtratum.

Quando ergo ſummus princeps non ſolum ipſe non reddit Deo, quæ Dei ſunt, ſed etiam rapit ipſe prætextu poteſtatis diuinum honorem ab alijs, & gladio ſibi uendicat, tunc nihilominus mãnet inter homines ipſa hæc poteſtas ordinata a Deo, ad uindicandum honorem Dei. Atq; ut mortuo Cæſare reliqui ſub eo principes & ſtatus, quantum in ipſos poteſtatis illius tranſlatum eſt, ſinguli ſuo loco eandem exercent, ac debent exercere propter mandatum Dei, prohibere blaſphemos, cogenteſq; gladio alios ad blaſphemandum, uicif ſim gladio a ceruicib⁹ ſuorum repellere, ita pro eadem poteſtate debent prohibere iam ipſum ſummũ principem idem facientem extra & contra ſuum officium, facientem, inquam, ordinatione diaboli, nõ Dei, ut ſupra ex Paulo oſtenſum eſt. Huc etiam pertinet dictum

psalmi: Ego dixi, dij estis, sed tanquam homines moriemini, hoc est, cum relinquentes ordinationem meam, qua ego uos alijs præfeci hominibus, ut meam inter illos uicem geratis, honorando bonum opus ac puniendo malum, ipsi quoq; flagitijs deseruieritis, sicut reliqui homines mali, tunc etiam nulla habita ratione maiestatis & potestatis uestræ, sicut illi puniemini a me ipso & ab alijs, quibus ego hanc potestatem dedi, unicuiq; suo loco malos puniendi aut cohercendi.

Tertium argumentum.

SI Deus superiores magistratus factos tyrannos prorsus uelit esse inuiolabiles, proter suam ordinationem & mandatum, quam multa hinc sequerentur impia & absurda: Præcipue uero sequeretur, Deum sua ordinatione & mandato munire, imo honorare & adiuuare malum opus, bonum opus impedire, imo destruere: esse contraria in ipsius Dei natura, & in hac ordinatione qua magistratum instituit: non minus ea ordinatione Deũ obesse, quam prodesse generi humano.

Hæc omnia sunt manifestissima, nec ab ullo sano negari possunt: Si tantam impunitatem concedit Deus supremo præsertim tyranno, sua ordinatione & mandato, quis illum uastantem totam rerum naturam, etiam cum possit, prohibebit & innocens erit coram Deo? quis non etiam res, corpora uitam denicq; ipsam præbebit postulanti, ad occasiones, obiecta & fomenta tyrannidis, propter mandatum Dei? quis quod rectum est faciet contra uoluntatem tyranni, & fuerit superstes? quis tandem superfuerit ex omnibus unus recte faciens? Ergo Deus uult, & non uult malum: destruit & ædificat malum ipsa ordinatione sua in magistratibus: Et cum

nihil

nihil sit homini familiarius & magis procliue, quam potentia & impunitate ad bonum concessa a Deo, abuti ad malum: Diabolo nihil facilius quam incitare talem hominem, & ex homine diabolum facere: cumq; nihil diabolo possit esse optatius magisq; accommodatum ad stabiliendum regnum suum (quod est regnum peccati & mortis) quam hominum conscientias uere constringere certo uerbo & mandato Dei, ut non audeant ipsum prohibere agentem suum negocium per magistratum a Deo ordinatum: Apparet ex his manifeste, summo principe in rabiem acto, Deum sua ipsius ordinatione & mandato, euertisse id quod boni est in ordinatione magistratus, ac prodidisse ipsum sua iura uerius, quam promouisse, & homines iustos exposuisse furori tyrannorum & diaboli. Itaq; sicut abominanda uox est, quam crepat satanas de potestate Rom: Pont: eius tantam esse impunitatem, ut si sciens infinitas animas ad orcum deduxerit, nemo tamen possit ei dicere, quid facis? nedum resistere, quo quidem horribili mẽdacio supra modum tyrannidem Antichristi sui stabiliuit. Ita intelligimus nunc etiam ex ueris causis, persuasionẽ illam de impunitate summi principis uel superiorum, esse nõ tantũ inanẽ, sed esse inuentũ diaboli hoc tẽpore præcipue destinatũ ad perdẽdas reliquias regni Christi, & ad restituendũ Antichristi & suum regnum.

Nec uero obstat ratiocinationi nostræ & sentẽtiæ, quod Deus ipse & ante repressérit & adhuc possit reprimere tyrannos persecutores Euangelij & Ecclesiæ, Quodq; regnum Christi gladio neq; constitui, neq; defendi aut seruari queat.

Punijt malos Deus semper & præcipue tyrãnos partim sine hominũ ministerio suis quibusdam alijs, occultis & manifestis modis, partim per homines, & quan-

& quandoq; malos, ipſos quoq; punit per malos, ordinarie uero per eos qui exercent iuſtam uindictã ex uo-
Gene: 9. catione iuxta illud dictum de homicidis: Fundatur ſanguis eius per hominem.

Hic modus exercendæ uindictæ uel propulſandæ iniuſtæ uiolentiæ, eſt etiam diuinus & magiſtratus proprius, uel ſuperioris aduerſus inferiorem, uel paris contra parem, uel inferioris aduerſus ſuperiorem. Communicauit enim Deus hunc honorem ſuum cum omnibus legitimis magiſtratibus non cum uno tantũ gradu aut una pſona: deditq; pro defenſione & honore boni, nõ mali operis, pro toto tempore huiꝰ uitæ, non pro aliquo, ſicut loquitur Paulus in definitione magiſtratus indefinite, nullum excipiens uel gradum uel perſonam, uel malum, uel tempus, quo boni non debeant defendi officio magiſtratus cuiuſuis etiam infimi: Aut ſi excipiuntur ſuperiores & peccata ipſorum, quibus quærunt ius & religionem extinguere, neceſſe fuerit edoceri hanc exceptionem expreſſo uerbo Dei, quam nemo nobis unquam oſtendet: Nos amplius uere poſſumus oſtendere, Deum non eſſe προσωποληπτην ut ulli ſanciat ſuo uerbo & ordinatione impunitatem, ſummorum præſertim ſcelerum, quin ſeueriſsime prohibet hac ipſa ordinatione magiſtratuum in diſtribuendis pœnis fieri προσωποληψιαν: Iudicium enim inquit Moyſes & Ioſaphat quod exercetis, Dei eſt: Magiſtratu igitur reprimente tyrannum, apparet eundem a Deo eſſe repreſſum.

Quæ etiam eſſet abſurditas, Deum ſic feciſſe ordinationem magiſtratus tam ſanctam & neceſſariam generi humano, ut illam unus homo penes quem ſit ſumma rerum, actus in rabiem, poſsit ſuo arbitrio in uniuerſum pene tollere, uel in contrarium uertere, &

cum

cum possint ac uelint cæteri homines ordine quodam sine confusione eam ordinationem seruare, non licere hoc eis per Deum?

Postremo de regno Christi constituendo ac defendendo simplicissime ac uere respondemus, id quidem nullis uel consilijs, uel armis, uel alijs humanis modis fieri posse, sed tamen sicut opera pij magistratus, ordinatione & mandato Dei, potest ac debet seruire regno Christi in instituendo & ornando uero ministerio uerbi & sacramentorum, ita etiam seruire eius arma debent in eodem ministerio totaq; Ecclesia defendenda aduersus iniustam persecutionem.

Hæ rationes firmissimæ sunt ad probandam necessariam defensionem inferioris magistratus contra superiorem in præsenti persecutione euangelij, sunt & satis ualidæ ad erudiendas piorum & bonorum omnium conscientias, ut sciant utriq; quid facere oporteat, qui uel ad inferenda euangelio Christi arma, uel ad propulsanda uocantur.

Reliqua huius sententiæ argumenta, etiam ea quæ Romanis fere legibus continentur, nota sunt ex scriptis summorum ante nos theologorum, & aliorum qui in adsertione huius defensionis nobiscum consenserunt, prius quam persecutio hæc contra nostros orta fuit, nec nos ea in sententia quicquam uel mutamus uel noui dicimus, sicut nec in reliquis purioris doctrinæ articulis: Et extat sententia uiri Dei Lutheri cum aliquot literis & locis exposita, tum uero etiam defensa multo ante motum bellum, publica disputatione. Sed cur idem Lutherus alijs quibusdam scriptis sæpe de hac ipsa materia ambigue fere disputauerit, eius sui consilij ipse & priuatim nonnullis causam exposuit, & publice satis indicat in libro ædito contra Dresdensem ueteratorem:

Ait se uoluisse utrosq; reprimere: Noluit tunc dicere, defensionem prorsus esse illicitam, ne sic papistas armaret, noluit etiam laudando uel probando defensionem, bonos in tolerandis non nimis atrocibus hostium iniurijs segniores facere, & insanos quosdam Thrasones magis incitare, quos alioqui sciuit stulte & carnali prorsus affectu bellum cupere, ut grauissime de illis queritur in commentario psal. 118. Cuperemus sane & nos ita facere, si res, ut tunc, essent adhuc in integro. Nunc cum uix paruæ piorum reliquiæ supersint, & ad has consumendas papistæ etiam armẽt diabolico quodam Christi ac uerbi eius sarcasmo tales, qui contra conscientiam a nobis iam exierunt, nec tam ipsas miseras reliquias cupiant consumptas, quam deletam in eis ipsam doctrinam & gloriam Christi, stabilitasq; ad omnem posteritatem Antichristi abominationes, profecto cogimur iam manifesta expositione ueræ sententiæ de defensione, hanc Christi, Euangelij & Ecclesiæ certissimam iacturam non tantum persecutorum impendentibus pœnis, sed toti etiam mundo longissime anteponere.

Postremo si quis exempla requirit huiusmodi defensionis inferiorum cõtra superiores, inueniet & satis multa & apta, si hypotyposin rerum gestarum recte fecerit, in historijs sacris, Ecclesiasticis & gentilibus.

1. Mac 2. Belle huc quadrãt res gestæ Machabeorum, qui cum essent uicti & iam sub Imperio regis Antiochi, tamen cupienti efficere in omnibus gentibus similem religionem, cogenticq; populum Dei ad cultum idolorũ, ipsi resistebant, & armis defendebant cum uitam suam tum legem seu cultum Dei, ut expresse ibi scriptum est.

4. Reg. 9. Iehu unus ex principibus Ioram capit arma contra suum regem ad sumendum de eo supplicium & de tota domo Ahab, propter factam persecutionem ueri

cultus

cultus Dei & piorũ. Et quanq̃ hoc facit peculiari uocatione Dei, & quædam etiã facit singularia, tamen Deus uoluit hoc exẽplo etiam illustrare generalẽ uocationẽ pio⁹ magistratuũ, qua superioribus persequẽtibus uerum cultũ & ueram Ecclesiam, ipsi eis resistere debeãt.

Populus Dei cũ graui reprehẽsione regis Saulis liberat Ionathan filium ex manu patris, uolentis eum per superstitionẽ interficere, & uel ui defendit eum, uel paratus certe fuit ui defendere, idq; non iniuste. Ait. n. Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. 1. Reg. 14.

Et exemplum Asæ remouentis ab officio matrẽ suam abolentisq; eius idola, diligẽter cogitatum, haud parum huic disputationi lucis & ponderis adfert. 3. Reg. 15.

Similiter & Ambrosij exemplum anathemate repellentis pro suo officio Theodosium ab ingressione templi propter cædem Thessalonicæ patratam. Trip. hist. lib. 9.

Armenij facti iam Christiani, armis se defendũt aduersus edicta Maximini Imperatoris cogẽtis religionem Christianã mutare in idolorũ cultũ. Et Constantinus Augustus pro defensione Christianorũ arma capit aduersus Licinium socium Imperij. Euseb. Ecclesia hist. lib. 9.

Traian⁹ Imperator laudatiss: & potẽtiss: ex ipsis penetralib: iuris naturalis pronũciat de hac q̃stione defensiõis inferiorũ cõtra superiores faciẽdæ qdẽ in reb⁹ politicis, qui cũ faceret sibi magistrum equitum, tradidit simul & gladium, inquiens: Hoc gladio utere cõtra hostes meos, si iusta imperabo, si iniusta, utere cõtra me ipsũ. Celebratur hæc uox, & est uere iuris naturalis, hoc est diuini. Itaq; sicut Christ⁹ in euãgelio nõ abolet reliquas notitias principiorũ uel Theoriticorũ uel practicorũ, uel ipsam legẽ Dei, sed stabilit, ut inquit Apostolus, ita nec hãc sentẽtiã abolet de necessaria defensione

quin Christiani magistratus pie illa uti possint, imo debeant propter mandatum Dei, sicut hactenus testimonijs, argumentis & exemplis ex uerbo Dei satis prolixe demonstrauimus.

In his quidem exponendis, si cui uidemur fuisse acerbiores, is cogitet Christum in hac persecutione multo pati acerbiora, & postulare a nobis ueritatis testimonium, in quo dicendo haud parum tamen stylo temperauimus, ut prudens & æquus lector facile animaduertet, nos tantum uoluisse de rebus ipsis dicere, & parcere personis quantum omnino fieri potuit: Vbi si pacem non impetrauerimus, possumus & ea quæ hic dicta sunt, ualde quidem acuere, & multa alia uere grauiterq; adijcere pro nostro officio, etiamsi forte idem nos præmium in hoc mundo manet, quod Prophetæ, Baptista, Christus, Apostoli, & multi horum similes pro simili opere retulerunt.

TERTIA PARS LIBELLI seu adhortatio.

TSI PRVDENS LECTOR ipſe iam facile intelligit ex *ijs* quæ ſupra commemorauimus in confeſsione & apologia, non quid nos flagitemus, ſed quid ab unoquoq; requirat Deus, cum ab *ijs* qui foris ſunt, tum & a nobis omnibus in hac urbe & Eccleſia, quid etiam terrere ab inferēda nobis iniuſta uiolentia, & conſolari in eadem propulſanda utrinq; homines poſsit ac debeat, tamen ut officia hæc, & cauſæ officiorum magis ſint in conſpectu, nos hoc ueluti epilogo breuiter præcipua quædam contexemus.

Primo manifeſtū eſt quod nemo pius aut Chriſtianus poteſt contra nos auxilia ferre hoſtibus uel militando, uel conferendo conſilia, pecunias aut alias res, quibus armantur hoſtes. Nam cum hæc ſola cauſa ſit, quamobrem urbs noſtra non poſsit impetrare pacem, quod Euangelium ſemper excipit in cōditionibus pacis, de eo nihil poſſe a nobis mutari aut minui, cumq; hoſtes manifeſte præ ſe ferant, ſe omnibus quibus poſſunt modis quærere oppreſsionem totius huius doctrinæ Chriſti & reſtitutionem Antichriſti, quomodo iam quæſo negari poſsit, non peti nos hoc bello principaliter, propter aliquas cauſas politicas, de quib⁹ facile noſtri conuenirent, ſed peti principaliter (utut cætera no-

biſcum eſſe putantur) ipſum Chriſtum & uerbum eius, quod amittere nolumus, uel abominationes Antichriſti recipere?

Vide ergo tu uel magiſtratus uel ſubditus, qui quoquo modo te huic bello aut executioni proſcriptionis admiſces, cui rei impendas conſilium, argentum, operas, corpus, ipſam denique uitam ac animam tuam, quibus etiam ſocijs, nonne hoſtibus Chriſti & uerbi eius? nonne in hoc ipſo opere, quo ueram notitiam & gloriam Chriſti cupiunt exterminare non ſolum ex ſuis territorijs, ſed prorſus ex toto mundo, idolomanias papiſticas & blaſphemias in locum collocare? quo Chriſtum Sathanico prorſus furore perſequuntur in ipſius membris, polluunt manus ſuas ſanguine Chriſti, ac pedibus eum conculcant.

Nec quenquam hic excuſauerit in iudicio Dei, quod neſciat hoc agi, ſicut & multi olim crucifigentes Chriſtum neſciebãt eum eſſe filium Dei, nec propterea fuerunt excuſati. Debuerunt enim hoc noſſe ex concionibus & miraculis Chriſti, ſicut omnes iam debẽt noſſe publicas actiones ad gloriam Chriſti & ſuam ſalutẽ pertinentes, & ut minus ignorẽtur hæ actiones, nos iam omnibus eas palam facimus. Si quis poſthac etiã ignorauerit, ignoret & ignorabitur: Rem enim manifeſtã & a multis explicatam petulanter ignorare uolunt.

Et ut hos minime excuſat affectata ignorantia, quin tamẽ ſint pſecutores Chriſti, ita multo minus habebit excuſationẽ in alijs uolũtas, quamuis coacta, quæ tamẽ eſt uoluntas, atq; ideo magis etiam q̃ ignorantia, præmia perſecutoribus digna feret. Et omnino ea nunc eſt rerum facies apud plurimos, qui hactenus Euangeliũ Chriſti una nobiſcũ profeſsi ſunt, ſi quis potens hodie propo-

propositis pœnis aut morte, uita aut premijs honorum & opum posset dare Christum filium Dei in carne rursus interficiendum, habiturus esset multos Christianos dicto parentes, quorum alij dulcedine huius uitæ, præmiorũ & honorũ capti, alij alijs causis uicti (dummodo etiam uiderent in infirmitate positũ atq; desertũ a Deo Christũ filiũ Dei) omnino rursus ad uoluntatẽ tyranni crucifigerent. Quid uero aliud est, q̃ in nobis iam committitur? Christo ipso reddente hoc testimoniũ. Quodcunq; feceritis uni ex minimis istis, idẽ mihi feceritis? Et Sauli dicit: Saul, Saul, quid me persequeris?

Quo fit ut minus nunc miremur maliciã & sæuiciã Iudæorũ aduersus Christũ, cum totius rei gestæ in eius passione & morte, similes personas & actiones in multis Euangelij discipulis (quales hactenus fuerunt aliqui aut uideri uolunt) iam nunc cernam⁹ cum summo nostro dolore, & paulo post magis cernemus.

Sunt iã non tantũ dolentes, mussitantes, fugientes ac negãtes ad crucifixionẽ domini ex apostolis, sed etiam sunt Iudæ similes: Sunt ex reliquis mutãtes subito lætã acclamationẽ osianna in die palmarũ, in funestũ & cruentũ clamorẽ, tolle, tolle, crucifige, crucifige: Sunt adhibentes consilia, sarcasmos, manus, flagella, expoliationes & omnia, quæ crucifixionem ipsam antecedunt.

Vnde aũt hæc tam subita metamorphosis discipulorũ Euãgelij? Est nempe fructus discessionis a uerbo, quæ discessio primum in capitibus facta, contra conscientiam, mox serpsit in cætera membra.

Quando enim principes nostri & status in proximo conuẽtu Augustano, relinquẽtes uerbũ, primũ cõcilio, deinde τῷ Interim se suosq; parituros ꝓmiserunt, & nũc sine pœnitentia excusationes, effugia, quidã etiã impietatis prætextus quærunt, Cæsar reposcens datam fidem,

iubet

iubet iam suo quodam iure nos infestari, mox iubebit & cæteros omnes similiter infestari ac trucidari non acquiescentes toti Interim uel Papatui. Hic quia fortasse pauci aut nulli retractare impia sua promissa, uel ipsi aliquid pati uolent, scientes fient ipsius Christi crucifixores in omnibus pijs. Sic habet sua horribilia incrementa ea impietas, qua in doctrina scienter discceditur a uerbo.

Sed adhuc maior pœna est securitas, qua tantum scelus possunt plurimi contemnere: imo excusare, laudare & de malitia sua gloriari. Et omnino est hæc securitas prima pœna peccati in spiritum Sanctum in ijs, qui abiectioni ueritatis agnitæ, addunt nunc & persecutionem, sicut hoc peccatum certe iam a plurimis committitur. Ac quod Christus dicit peccatum hoc esse irremisibile, non eo fit, quod agentibus pœnitentiam non possit remitti, sed quia tales pœnitentiam nunquam agunt, deserti scilicet a Deo, ut conueniat eis illud Psalmi: Dilexit maledictionem & ueniet ei, noluit benedictionem & elongabitur ab eo. Hinc fiunt uel manifesti contemptores Dei, uel alias securi, ut pontifices & Pharisæi, uel sentientes iram Dei mox desperant, ut Cain, Iudas, quorum hominum hæc tempora paulo post multa dabunt horrenda exempla. Si qui cum Petro uel scientes negant per infirmitatem, uel nescientes persequuntur cum Paulo, illis precamur, ut det Deus resipiscentiam Petri Pauliq; similem.

Monemus uero singulos, ut discrimen hoc persecutorum diligenter considerent: & illos qui scientes persequuntur agnitam ueritatem, habere peccatum in spiritum S. ac neminem unquam rediisse ad pœnitentiam, iuxta uerbum Christi: Aliorum, qui nescientes persecuti sunt, quam multi seguntur esse conuersi?

Atq;

Atq; haud quidem scio, utrum in his maius crimen sit, nescire doctrinam, quam persequeris, esse ueram, sicut Paulus persequendo Christianos, nesciebat, an uero eam quam pro Christi doctrina ipse habes, inscium persequi cum manifestis persecutoribus: Vt quamuis iam Cæsar dixerit, se non persequi nos propter doctrinam, sed propter rebellioné, aut alia peccata, tamen omnes qui ex Euangelicis sub eo iam militauerint, non possunt non scire, Cæsarem simul & uel maxime persequi in nobis hanc religionem, & eam quam ipse in nobis accusat rebellionem, propter necessariam religionis defensionem ortam esse. Itaq; tamen Pseudoeuangelici illi, qui consilio, uoto, pecunia uel armis Cæsarem contra nos adiuuant, agnitæ ueritatis persecutores fuerint, siue sciant, siue nesciant, se tantum scelus facere, seu uolentes scire nolint.

Et qui moriuntur in hoc apparatu bellico, uel post cadent in conflictibus, næ illi morientur tanquam persecutores Christi: Quomodo tunc etiam sperare ab eo remissionem poterint, quem persequuntur, uel negare aut excusare factum, quod Christum non sint persecuti hoc bello, ipsa conscientia tunc probe ipsos monebit, quæ tali tempore simulationis & fucorum impatiens, secundum ueritatem rei gestæ stat nuda & sola coram iudicio Dei.

Sed magnum profecto hoc est testimonium iræ Dei, atq; imminentis iusti iudicij ipsius, extremi quoq; furoris Diaboli cõtra Christum, homines Christianos iam impelli, ut ueram suam religionem ipsi nunc armis persequantur, quæ pro tuenda falsa religione homines ethnici non dubitarint uel sustinere, uel suscipere: Et omnino nihil habent simile omnes omnium temporum historiæ, Ecclesiasticæ & gentiles ab initio mundi.

Proinde hoc peccatū omnium horrendiſsimū ſpectaculum præbebit Deo, Angelis, hominibus ac toti rerum naturæ in ultimo iudicio Dei, feret etiam pœnas cum Diabolis omnium atrociſsimas. Si quibus etiam uitæ huius tempore in conſcientia reuelatum fuerit, ut haud dubie Deus in aliquibus ſuæ uindictæ ſigna & exempla oſtendet, tunc & conſolationē tales & præmium cum Iuda habebunt, & ipſi properabunt ad accipiendam ſuis factis dignam mercedem in morte æterna.

Hæc etſi dicūtur ualde quidē atrociter, tamē nōdum ita dicta ſunt, nec dici aut æſtimari a quoquam poſſunt, ut magnitudinē peccati ac iræ diuinæ æquent. Nec quidem illa mundo nunc proponimus cogitanda tātum ſeruandæ huius uitæ noſtræ nimia ſolicitudine, qui quanq̄ infirmitatem noſtram agnoſcimus, tamen fide carnē uincentes, ſtatuimus nos in hac ipſa uitæ huius amiſsione, decus & coronā martyrij reportare poſſe. Sed ideo etiam uel maxime proponim⁹, q̄ nos oportet pro Ieſu Chriſti euangelio cōtra ſatanam eiuſq̄ miniſtros pugnare, non ſolum redarguēdo eius mendacia, ſed & cædes impediēdo, quando iā utroq̄ artificio ueram pietatē uehementiſsime oppugnat. Deniq̄ & paruulorū, totiuſq̄ poſteritatis maximā debemus habere rationem, quibus ſi nos hic, alij pij alibi, a ſatana & impio mundo omnes iugularemur, non parum accederet impedimenti ad æternam ipſorum ſalutem.

Rideant hæc ſapiētes & Epicurei, donec aliquādo & lamententur: Inſaniant hinc magis tyranni, quo citius compleant ſuam menſuram, nos iam hoc ſpectamus, etiamſi ipſi ſeruari iuxta uoluntatem Dei nō poſſimus, ut tamen bonos & ſanabiles noſtra præmonitione, foris ſeruemus innocuos a crimine perſecutionis, & ut relinquamus poſteritati noſtræ ſemen uerbi ad uitam æternam.

Atq̄

Atq; nunc illos alloquimur fratres noſtros in Chriſto Ieſu, quos plurimos eſſe non dubitamus in omnibus Eccleſijs etiam tyrānide oppreſſis, qui nolint opprimi puritatem doctrinæ Euangelicæ, idolatrias papiſticas reſtitui, multo uero minus uelint ipſi euangelij & Chriſti perſecutores fieri, uel adiutores ac propugnatores Antichriſti, ſeſeq; onerare peccatis totius regni Antichriſti, nolint diſturbare officinā hāc librariā, quā Chriſtus pro tota Eccleſia in hac tenebrarū poteſtatis hora hic inſtituit, ad oppugnandū ſuis armis, uidelicet ſpiritū oris ſui Antichriſtum, &c.

Qui ergo ſunt eiuſmodi, ut hæc pie uoluāt animis, neceſſe eſt ut etiam cogitent, eſſe nunc hoc tempus, quo Chriſtum cōfiteri & ore & factis debeant, quo & confiteri haud quaq; poſſint ſine certis periculis. Neq; enim mihi quiſquam fuerit hoc tempore tam ſapiens, q omnia uel pericula uel mala effugerit ſine certa uel abnegatione, uel perſecutione Chriſti. Quod q nō credunt, fruantur iā ſuis ſomnijs, & paulo poſt, eā quā in corpore aut rebus noluerunt ſubire paruā & breuē iacturam, ſuſtineant in cōſcientijs animaq; multo grauiorem, utinam nō prorſus æternam: Sicut iam nunc multi apud nos & apud alios cū uoce, tum literis teſtātur inquietudinem ſuarum conſcientiarum, quam initio harum mutationum alij timiditate, alij ſapientia, alij friuolis earundem excuſationibus ipſi ſibi uolentes fecerunt.

De Thebæis ſcriptum eſt in uita Mauritij, cum Diocletianus & Maximianus Auguſti infenſiſsimi Chriſtianis, iuberēt ipſos quoq; Thebæos arma capere, ad ſubiugandos rebelles Rom: Imperij, tūc Thebæos ſecūdū præceptū Chriſti, q iubet reddere Deo, quæ ſunt Dei, & Cæſari q ſūt Cæſaris, incertos adhuc qb: rebellibus bellū pararetur, miſiſſe qdem ad Imperatorē electā

militum legionem, uerum cum hoc mandato, ut in bellis iustis Imperatorem iuuarent, contra Christianos nequaquam arma mouerent, sed ipsos potius defenderent contra iniustam uiolentiam. Huic legioni dux erat designatus Mauritius.

Venit igitur Mauritius cum legione ad Imperatorem Maximianum, iamq; totus eius exercitus ad Otodorũ congregatus, accipit mandata, ut omnes inito fœdere coniurarẽt contra rebelles Rom. Imperij, maxime Christianos, quos (ut modo nobis fit) rebelles propterea tãtum iudicabat, quod fidem Christi abijcere & idolis immolare recusarent.

Tunc Mauritius & omnes pij milites facta secessione, renunciant Imperatori, se nihil ea in re seditiose facere, esse quidem se milites Imperatoris, & ad defensionem reip. armis paratos, sed fidem Christi nequaquam deserturos aut contra facturos, inq; hoc sanctissimo proposito ita perseuerant fortes Christi milites, ut c adentis reliqui totius exercitus manus effugere non poterant, omnes ibi Martyrium potius ipsi prona uoluntate susciperent, quam alijs inferrent, aut Dominum uitæ salutisq; authorem abnegarent.

Stipatores Saulis summo consensu & coniunctione non exequuntur mandatum regis de interficiendis sacerdotibus Nobe, atq; ita se onerant odio regis se-
Reg. 22. cuturisq; periculis. Quod si esset nunc quoq; similis consensus & coniunctio multorum bonorum, qualis certe esse debebat ex mandato Dei in recusatione militiæ, operarum & contributionum ad opprimẽdos nos aut alios pios, etiamsi fortasse Saules isti habituri adhuc essent suos Idumæos Doegitas, tamen ipsi pij primum hac parte suis conscientijs remedium aliquod inuenissent, quod multi simul haud facile cogerentur ad de-

signan-

signandum tantam iniustitiam, atq; ita forte cum stipatoribus Saulis impune euaderent, Si non possent impune euadere, fugerent potius, aut paterentur, aut uterentur ipsi quoq; gerentes inferiorum magistratum defensione cum suis contra iniustam uiolentiam concessa, iure diuino, ut supra demonstratum est, & naturali & humano, & maxime etiam Germanici nostri Imperij prærogatiua, qua superiores & inferiores sunt sibi inuicem certis legib9 & priuilegijs deuincti, quibus Christiani recte bonaq; conscientia uti possunt, sicut cæteris ordinationibus politicis non pugnantibus cum uerbo Dei.

Diximus hactenus de ea parte officij Christianorum, qua ipsi sese debent immunes seruare a persecutione Euangelij, Christi & membrorum eius, a peccato in spiritum Sanctum, in hoc bello contra nos adornato, & in tota executione proscriptionis cum hostibus Euangelij & Christi, cum Apostatis aut scienter ignaris facienda.

Venimus nunc ad alteram partem officij piorum, de quo præcipit Deus Prouer: 24. inquiens, Erue eos qui ducuntur ad mortem, & q trahũtur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris: uires nõ suppetunt: Qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorẽ animæ tuæ nihil fallit reddetq; homini iuxta opera sua.

Hæc sentẽtia duo iam monet Christianos: Primo quod non sit satis nihil cum impijs contra nos moliri, sed etiam quod adiumento nobis esse oporteat, ne opprimamur iniuste. Itaq; stipatores Saulis quamuis ipsi non intulerunt manus sacerdotibus Nobe nec consenserunt in necem ipsorum, tamen crimine patratæ cædis non uacant, propterea quod non succurrerunt insontibus, eosq; defenderunt.

Secundo monet ſententia Chriſtianos, eas cauſas quas ipſi ſibi nunc fingunt, ut nos deſerant, Deo minime ſatisfacere, quo minus rei fuerint & noſtri ſanguinis & ſanguinis Chriſti, propter quem perſecutionem hanc patimur.

Sunt autem uariæ hæ excuſationes, quarum alij alias ſubinde fingunt, quod ſuperioribus præiudicare non poſſint prætexentibus bello rebellionem noſtram, non religionem, quod deſint uel uires, uel ius opitulandi nobis contra ſuperiores &c. Harum cauſarum & quæcũq; aliæ iam poſſunt excogitari, uanitatem nouit Deꝰ & arguit fere in conſcientijs ſingulorum, ut Deum fallere non poſsint, quin tamen deſertionis huius pœnas ei daturi ſint. Eſt igitur ſententia hæc enarratio quinti præcepti, quæ cædis reos facit non ſolum adimentes uitam iniuſte, ſed etiam non ſeruantes contra uim iniuſtam, quantum poſſunt, uel ſuam, uel aliorum uitam.

Si ſumus uera membra Chriſti, & unius corporis membra in Chriſto conſociata & uiuificata uno ipſius ſpiritu, tunc uere etiam iam apparebit id, quod Apoſtolus affirmat de hoc corpore Chriſti: Quando, inquit, patitur unum membrum conpatiuntur omnia membra, & ipſa pro ſe inuicem ſollicita ſunt membra, & mutuo ſibi auxilium ferunt.

Ergo q ſũt expertes huius ſolicitudinis, & prorſus nõ tribuũt mutuas reliquis ægrotantibus membris operas, ipſi quidem, aut prorſus non ſunt membra corporis Chriſti, aut mortua ſunt uel minus aliquantulum, quã ſemiuiua. Nam impoſsibile eſt in corpore uiuo membra uiua inuicem non affici, & unumquodq; ſuo loco & modo non quærere, non adferre opem affectis reliquis commembris.

Sunt

Sunt etiam ea iam merita huius urbis de reliquo corpore totius fere reipub: Christianæ, ut deseri nō solum non debeat, sed etiam uix possit sine eiusdem corporis ingenti calamitate. AEdidit sola libros detegentes Interimisticas & Adiaphoricas fraudes, sine quibus conmonefactionibus potuissent in errorem induci etiam electi: Impedit sola fere hostium consilia & conatus, quibus restituere papatum, & opprimere libertatem patriæ student, adeo ut quicquid foris adhuc reliquum est pristinæ puritatis in ministerio, & in republica libertatis (quod sane exiguum est) id Deus uideatur quasi de nouo esse largitus per suam hanc quam elegit castam uirginem. Et ipsa hæc uirgo impendit uitam & omnia sua non magis suæ castitati & libertati tuendæ, quam alienæ. Quæ ergo fuerit æqualitas, alios tantum frui beneficijs huius Vrbis, periculi aut incommodi nullam partem sustinere uelle, in tali præsertim causa, pertinente ad gloriam Dei, & totius Ecclesiæ prosperitatem?

Meminerint hic seueriſsimi iudicij Dei, de quo extat grauis historia & formidabilis desertoribus piorum Iud: 5. Cum infirmisſimæ duæ tribus Israel, Zabulon & Nepthali exposuissent animas suas morti pro cultu Dei & reliquo populo contra Iabin Regem Chanaan, tenentem iam imperium in populo Dei, & exercente tyrannidem, cæteraq; tribus potentiores quieuissent, Tragœdiæ huius euentum forte expectaturæ, ut scilicet uictore altero hostiū exercitu, minus essent ipsi in periculo, dante uero D E O lætum aliquem exitum contribulibus suis paucis & imbecillibus, ipsi postea simul fruerentur uictoria, sine suo labore & periculo, parta fratrum sanguine & multis singulorum illorum certisſimis mortibus (quemadmodum & hoc tempore

fere

fere fit)ibi Deus impatiens huius tantæ inæqualitatis, (ne quid aliud dicamus grauius) iubet maledici per Angelum desertricibus reliquis tribubus, Quia inquit, non uenerunt ad auxilium domini: Queritur non homines, uerum se ipsum esse desertum a suis.

Porro officia huius generis quibus alij pij obligati iam sunt huic urbi iuxta dictũ Salomonis, eamq; iuuare possunt, fere hæc sunt. Primũ est inuocatio iuxta illud Iacobi. 5. Orate pro uobis inuicem.

Nec dubitamus illas preces, quæ in tali negotio ipsius Christi & Ecclesiæ eius, tanto omniũ membrorum cõsensu uera fide fiunt, efficaciſsimas esse, & habere diuinam potestatem mutandi euentus supra cõsilia & uires humanas: represisse etiam hactenus satanæ furorem, ne prorsus extinxerit reliquias ueri ministerij & ueræ Ecclesiæ in nostra Germania.

Secundum officium est supplicatio apud superiores, quæ si fieret ea coniunctione plurimorum Statuum & piorum, qua decet, ea etiam confessione propriæ fidei & indicatione officij, in facienda necessaria innocentum defensione pro communi Christi, Euangelij & totius Ecclesiæ causa, non est dubium, quin efferatas magnorum principum mentes nonnihil flecterent ad moderationẽ, uel cohiberẽt. Si quibus uidetur σκληρὸς
Ioan. 3. οὗτος ὁ λόγος, ijs ueniat quæso in mentem dicti Ioannis, quo, sicut Christũ dicit animam suã posuisse pro nobis, scilicet, redimẽdis, ita & nos iubet pro fratribus nostris animas ponere. Nec nostri quidẽ hic aliud iam faciunt, quam quod uitam suam, & omnia adducunt in certum discrimẽ pro fratribus suis, æque ac pro seipsis. Et aliqui sane agnoscunt hoc nostrorum in se beneficium, quod huius Vrbis quasi præsidilio quodam, ipsi adhuc foris mediocriter tuti sunt contra extremã forte tyrannidem.

Quin

Quin ipsi oppugnatores nostri bonam partem suæ & pacis & fortunæ, paucis in uera pietate & libertate adhuc nobiscum constantibus, debent, quibus subiugatis, næ illi nobis cito aquilæ ungues in plumis suis magis senserint?

Tertia, pars officij Christianorum oritur ex proximo. Nam supplicatione facta irrita, facta etiam confessione propria ac protestatione officij de tuendis contra iniustam persecutionem insontibus, reliquum est ut illa potius uel aliqua saltem pro Christo faciant seruando, quæ hostes flagitant ad perdendum Christũ. Debent etiam nobis ij, qui possunt, eam fidelitatem, quam Ionathas & Chusai Dauidi præstiterunt iniusta patienti a Saule Rege & a filio Absalone, & haud parũ quidem nos iuuerint totam q; Ecclesiam piorum tempestiuis præmonitionibus suis & impediendis uafris Achitophelium consilijs. 1. Reg. 20. 2. Reg. 17.

Postremo ut aliquid dicamus amplius pro nostro officio quod habemus pro gloria Dei & omnium hominum salute. Cogitate quæsumus, iam uos omnes Ecclesiæ ac præcipue gubernatores, qui agnitum Christũ prodere ac crucifigere non uultis, quam pie hoc fiat a uobis, quod non tantum nos uestros in Christo fratres eiusdem q; corporis Christi membra in discrimine deseritis, sed etiam ipsam ueram pietatem ac ipsum Christum dominum, dum, ne grauc aliquid patiamini, lupis papistis, Interimistis & Adiaphoristis uos plane non opponitis.

Non putatis uestra referre hoc certamen, quare uestræ tranquillitatis uoluptatum q; gratia ociosi spectatis. An nondum uos præteritum, uel potius præsens damnum satis admonere potest, quam pulchre sapueritis quod in fratrum uestrorum periculo partim quieueritis, tanquã

in re nihil ad uos pertinente, partim etiam eam calamitatem una cum impijs infligere eis adiueritis? Sapite aliquando tandem uel postquam semel icti estis, ac uel euentu, qui etiam stultos erudire solet, uos admoneri de officio uestro patiamini.

Sic iam pij omnes in communi hoc rerum discrimine affecti esse debebant, acsi propria eorum membra secarentur, uel si infernales dæmones instarent iam iam ipsorum animas ad æternum exitium abrepturi, quod profecto fit, dum eis uera religio per tam uarias fraudes ac uiolentiam eripitur.

Nec est quod propter mediocres calamitates frangi animis uelimus atq; ita cito prorsus desperare. Veram enim fortitudinem cuiusmodi imprimis Christianorum esse debet, præcipue id decet, ut etiam in summis discriminibus de liberatione Dei non desperet. Sci-
1. Reg. 2. mus enim eum sic solere suam præsertim Ecclesiam ad
inferos deducere, ut tamen eam etiam reducere inde co-
1. Pet. 4. gitet. Solet afflictio a domo domini incipere ac desinere tandem in impios. Adhæc metam nescimus, quousq; Deus sit impijs permissurus ut ita contra nos insaniant. Liberat ille mirabiliter plerumq;, cum res ad extremam desperationem adductæ ac plane perditæ
4. Reg. 19. sunt, ut liberat Ierusalem mirabili euentu cum iam
Iudith. 7. omnia uicina loca euersa essent, liberat Bethuliam in
4. Reg. 7. extrema desperatione, item Samariam, & totum popu-
In Exodo, lum sæpius, cum eum ex AEgypto educeret. Non igi-
Iosua & tur desperemus de Dei nostri omnipotentia neq; ex no-
Iud: stra imbecillitate eius quoq; uires diminutas esse aut manum abbreuiatam suspicemur. Ingens scelus est ista nostra ignauia. Ethnici homines, qui nihil certi de Deo, de immortalitate animæ ac æterna uita sciuerunt, sæpe longe fortius mortem subierunt propter po-

litica

liticas causas, quam nos Christiani, proh pudor, ob ue ram Christi religionem: O nos delicatos Martyres, ne dicamus Epicureos uentres.

Quare forti animo singuli nostrum officium in hoc sanctissimo conseruandæ ueræ religionis proposito faciamus, doctores docendo, Magistratus gestando gladium, subditi suis gubernatorib⁹ pia mandantibus prompte obediendo. Hoc enim certissimum est, nos & ueram religionem habere, & nihil sanctius facere posse, quam pro eadem conseruanda laborare ac res uitamq; nostram in extremum periculum adducere, unúquemq; tamé suo loco & ordine sine confusione. Conseruatio enim ueræ pietatis & Dei gloriam præcipue amplificat, & proximi salutem maxime conseruat ita ut nulla in re uel Deo quicquam gratius, uel proximo quicquam utilius facere possimus, quam ueram pietatem promouendo ac conseruando.

Atq; hic quidem illam prorsus Christiano dignam (quanquam ab Ethnico dictam) sententiam, ac passim in sacris literis confirmatam, diligenter animis nostris infigamus, probeq; meditatam habeamus. Finis uitæ (inquit ille) omnibus hominibus est mors, etiamsi in munitissima arce te conclusum seruare uelis. Demosthenes.

Oportet autem uiros præstantes suscipere semper honestas actiones, bonam sibi spem proponere, ferre autem fortiter quodcunq; dederit Deus. Oportet sane nos quoq; Deo subditos esse, facere ea quæ mandat summo studio, ac ei euentum commendare. Habemus uero certam promissionem, laborem nostrum secundum uerbum eius susceptum, non fore inanem, sed fructum aliquem allaturum esse. Certum quidem est, Christum esse cum Ecclesia, eamq; usq; in finem uel contra omnes inferorum portas defensurum esse.

Cæterum quod ad nos singulos attinet, non perinde certum est, nos ex præsentibus uitæ huius periculis euasuros. Oportet enim nos singulos in hoc mundo filio Dei conformes fieri ac per uarias afflictiones tandemq; per mortem ipsam in uitam æternam commigrare. Verum illa nobis certissima promissio est, quod siue morimur siue uiuimus domini sumus, quodq; præsentis uitæ momentaneæ afflictiones supra modum nobis æternæ gloriæ pondus augent. Agamus itaq; nos ea quæ nobis a Deo præcipiuntur in retinenda uera pietate unusquisq; suo loco summa diligentia, certo statuentes nos non ad hanc miseram breuissimamq; uitam procreatos esse, sed per hanc ad aliam, ueluti p iter quoddam, peregrinos festinare. Statuamus etiam indubitate beatissimos nos in altera uita fore, cum hic ob nomen domini omne malum contra nos dictum fuerit, omniq; iniuria affecti fuerimus, centuplum enim profecto recepturi sumus, & uitam æternam cum Christo domino beatisq; omnibus possessuri.

Rom. 14. 2. Cor. 4. Matth. 5.

Quod reliquum est oremus pariter omnes Deū & patrem domini nostri Iesu Christi, ut ipse nos seruet in uera cōfessione filij sui, rectisq; officijs omnibus, quæ confessionem flagitant, nec sinat nos ab his officijs abduci uel securitate, uel timiditate, uel sapientia uel alijs huius mundi illecebris uictos: Sic etiam nobis omnibus regat cœlestis pater euentus horum periculorum, ne possit Antichristus cum patre eius Diabolo triumphare aduersus Christum, populusq; Antichristi obijcere populo Christi: Vbi est Deus? Vbi euangelium ipsorum? Veni igitur domine Iesu, ueni, redime nos propter gloriam nominis tui: Etiam uenio inquit, & cito uenio. Gloriam enim meam alteri non dabo, ne

Apoca. 22. Esa. 42.

portæ

portæ uel mundi uel inferorum præualeant aduerſus Ecclesiam meam: Cœlum & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt. Laus Chriſto regi noſtro æterno, ipſe uiuit & nos uiuemus, glorificabimur cum ipſo, ſiquidem & compatimur, & mortificamur propter ipſum tota die. AMEN. Matth. 16. Luc. 21. Ioan. 14. Rom. 8. Pſal. 43.

NICOLAVS AMSDORFIVS
ſubſcripſit manu propria.

Nicolaus Gallus paſtor apud S. Vdalricum.
Lucas Roſenthal apud S. Ioannem.
Ioannes Stengel apud S. Iacobum.
Henningus Freden apud S. Catharinam.
Ambroſius Hitfeldius apud S. Petrum.
Ioannes Baumgarten apud S. Spiritum.
Ioachimus VVolterſtorpius in arce auſtrali.
Henricus Gercken in noua ciuitate.

Singuli paſtores ſuo & reliquorum miniſtrorum nomine proprijs manibus ſubſcripſerunt.

IDIBVS Aprilis decessit ex hac uita in confessione uerae fidei & in inuocatione filij Dei, placidissima morte M. Stephanus Tucher, noster in Euangelio Christi fidelissimus collega apud S. Vdalricum, magno sui apud nos desiderio relicto: Cuius ut erat eximia quaedam eruditio, iudicij dexteritas, uerae pietatis studiu & zelus prae multis ardens, animusq; alienissimus ab Epicurea illa somnolentia, qua multi nunc existimant praesentia haec certamina religionis, uel nullius esse momenti, uel nihil ad se pertinere, ita & publice & priuatim haec multis in eo testimonijs satis fuerunt perspecta & comprobata. Eum igitur cum uisendi gratia conflictantem cum morbo adissemus, audierunt quidam ex nobis, cum alias saepe, tum & praecipue paucis diebus ante obitum, magna cõstantia & indignatione Spiritus damnare Interimisticas & Adiaphoricas praestigias, sicut eas multo ante damnauit publico scripto, quod praefixit enarrationi uiri Dei D. M. Lutheri in. 53. cap. Esaiae: Item concioni Lutheri à se editae. Audierunt eum porro hortari nos quoq; ad perseuerantiam in nostra hac uera confessione aduersus Pharisaici illius fermenti contagium, aliaq; multa grauissimé dicere ad hanc rem pertinentia, quae suo fortasse loco ab alijs proferentur. Inter cetera uero iussit, cum hic noster libellus iam daretur excudendus, ut si uelimus, ipsius quoq; nomen hic adijceremus, ac testaremur Ecclesiae, ipsum in confessione eius sententiae, quam liber hic continet, mortuum esse.

Itaq; ut pij uiri piae petitioni satisfaceremus, haec ita de illius iudicio adscripsimus hoc etiam libentius, quod iudicamus ea reliquae Ecclesiae ad firmitatem iudicij & ad gloriam Christi haud parum esse profutura. Nam & morientem appellare iudicium Dei, & non confundi in hac appellatione, adeo ut mortem iuxta Christi uerbum neq; uiderit neq; gustaret, magnum profecto bonae conscientiae & ueritatis testimonium est.

Psalm.

Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est dominus fortitudinem & præcinxit se.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.

Parata sedes tua ex tunc, a seculo tu es.

Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina uocem suam.

Eleuauerunt flumina fluctus suos, a uocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus:

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.